

apertissime tradit Volfius. Hæc enim habet: *in systemate harmonia præstabilita anima hæc non potuit uniri, nisi huic corpori per ipsam utriusque substantiæ essentiam, atque naturam animæ. In systemate influxus physici, & causarum occasionalium indifferens est ad unionem cum quolibet corpore (a); utque id clarius cuique fiat, addit: singulare hoc est in systemate harmonia præstabilita, quod unaquæque anima ad unionem cum suo corpore per essentiam atque naturam suam destinetur, itaut tot concipiantur animæ possibiles, quot corpora humana ipsis harmonice modificabilia in hac serie rerum existere possunt, & singulis suum, sensu propriissimo, conveniat corpus; cum nullo modo, salva hac rerum serie, alterius animæ corpus fieri possit (b). Igitur, nisi manifeste sibimet adverteri velit Vir Cl., dicere nequaquam potest, humanam mentem dependere a mutationibus organorum sensoriorum corporis in rerum ideis producendis, quatenus ex prævisione futurarum ipsarum mutationum fuerit ipsa mens ad unam potius, quam ad aliam producendam idearum seriem, a Deo determinata.*

PROPOSITIO IV.

Nequit mens humana independentè adeo ab omni externo principio omnes suas perceptiones producere, ut veluti spirituale automaton spectari ipsa possit, nisi ejus ipsa ponatur natura, ut nunquam valeat a cogitatione cessare.

181. *Probatur.* Spectari nequit mens veluti spirituale automaton; nisi ita vi sua ideas rerum omnium producat, ut essentia, sive natura ipsius mentis sit tota ratio non solum, cur producat ideas, verum etiam cur has potius, quam alias producat. Automaton est enim, quod ita movetur, ut in illius essentia tota sit ratio, cur moveatur. Posita autem *ratione sufficienti*, necessario ponitur id, quod propter eam potius est, quam non est (P. I. §. 133.). Ergo in rerum ideis producendis non se habet mens tamquam spirituale automaton, nisi ideas ipsas ita semper producat, ut nunquam valeat ab earum productione cessare. Semper enim hac in hypothesi habetur sufficiens ratio in mente, cur aliqua debeat idea ab ipsa produci.

Confirmatur. Quia, si a cogitando interdum cessat mens, danda est ratio, cur illa postmodum moveatur, sive ideam aliquam iterum producat. Nihil est enim *ratione sufficienti*, cur sit potius, quam non sit (P. I. §. 130.). Certum est autem, id, ex quo ratio desumitur,

(a) Psychol. ration. §. 719.

(b) Ibidem in not.

tur, cur, post otium, mens iterum cogitet, non semper esse in ipsa mente, alioquin nunquam otiosa, ut patet, illa consisteret (P. I. §. 133.). Ergo ei advenit ab extrinseco; & ideo *spirituale automaton* mens humana non est, utpote ab externo principio in operando dependens.

COROLLARIUM.

182. *Nisi humana mens semper cogitet, nullum est systema harmonia prestabilita.* Si enim non semper cogitat mens, haud recte habetur veluti *spirituale automaton*; & ideo unum ex iis fallit principis, quibus *prestabilita harmonia systema* innititur (§. 165.).

SCHOLIUM.

183. Mentem semper cogitare, affirmat Cartesius, negant alii & quidem non de turba Philosophi. Quis autem horum vero propius accedat, videbimus suo loco. Id unum monuisse interea sufficiat, prudentiorum iudicio, nihil incertius esse, quam *utrum mens semper cogitet.* Hinc quanti faciendum sit systema, in quo principii loco assumitur, quod plane incertum est, videant, quibus integra manet iudicandi potestas.

ANIMADVERSIO I.

184. Humanam mentem nunquam cessare a cogitatione, atque propterea etiam in somno ideam totius universi in seipsa producere, adeo certum putat summus harmonista Volfius, ut sine probatione id admitti posse contendat. *Nulla enim, inquit, adest ratio, cur anima, qua per essentiam suam ideam totius universi continuo producit, cessare debeat subinde ab actione sua contra vis non impedita notionem; & cur a consueta sibi actione nescio ad quas alias digrediatur.* Cum enim, propterea quod anima in somno perceptionum suarum sibi conscia non sit, nondum sequatur, quod perceptione omni, seu idea sensuali, vel phantasmate destituatur; nec inde inferri potest, quod ideam universi in somno non amplius producat. Quod si dicas, vi corporis determinari vim animae ad hunc statum universi producendum, qui momento evigilantis respondet, eadem id facilitate rejicitur, qua dicitur. Quomodo enim probaveris, motui, qui ex organo sensorio ad cerebrum propagatur, inesse ea, per qua intelligi possit, cur anima producat ideam universi,

Phil Ment. T. II. P

versi, qualem poscit momentum temporis, quo quis evigilat? Quae precario assumuntur, perperam allegantur rationes eorum, quae sunt (a). Hæc laudatus Auctor: quæ tamen an vera sint, non est hujus loci inquirere. Ajo dumtaxat, me nescire, quoniam jure Vir. Cl. suos provocet Adversarios, ut ostendant, mutationi factæ in organo sensorio inesse ea, per quæ intelligi possit, cur anima producat ideam universi; cum ipse jam aperte docuerit, nec semel assumpserit tamquam certum indubitatumque principium, rationem sufficientem sensationum, sive perceptionum rerum sensibilium, in mutationibus, quæ ex rerum earum appulsu in organis sensoriiis fiunt, contineri (b); adeo nempe ut per illas mutationes organorum reddatur ratio sufficiens, non solum cur, illis positis, existat sensatio in anima, verum etiam cur talis existat (c).

PROPOSITIO V.

Si humana mens in suis omnibus perceptionibus & appetitionibus producendis sit adeo a corpore independens, ut eadem ipsa rerum perceptiones, & appetitiones, quæ in illa excitantur copulata corpori, eodem plane modo in ipsa contingerent, si nullum corpus existeret, plura in ipsa mente contingere dicendum est, quin detur ratio sufficiens, cur contingant potius, quam non contingant.

185. *Probatur.* Si namque humana mens ita vi propria, independenter omnino a corpore, suas omnes perceptiones, atque appetitiones producit, ut, quas producit copulata corpori, easdem, & quidem eodem plane modo, produceret, licet nullum, cui conjungeretur, corpus existeret, sequitur, perinde omnino esse ad perceptionum appetitionumque productionem in anima, qualiscunque sit corporis, cui illa jungitur, constitutio. Ideo enim neque vitia, quibus corpus fatui hominis obnoxium est, impediunt, quominus mens viri docti plura distincte nitideque cognoscat; neque perfectio corporis viri sani prohibet, ne stulti mens res perturbate percipiat, pessimeque de eisdem judicet; quia mens sapientis viri eodem modo operaretur, non existente corpore hominis fatui, quo agit, hujusce hominis corpore posito; & homo stultus non aliter ageret, ac agit modo, quamvis nullius sapientis viri corpus re ipsa existeret. Jam vero si neque bona, neque rea corporis constitutio quidquam menti confert ad rerum

no-

(a) Psychol. ration. in not. ad §. 191.

(b) Psychol. empiricæ §. 57.

(c) Ibidem §. 85.

notiones, atque appetitiones producendas, plura in ipsa mente contingunt, quorum nulla penitus datur ratio *sufficiens*. Hac enim facta hypothese, nulla est ratio I. *cur mens fetus in matris utero existentis nullam rei ideam in se producat, saltem claram & distinctam, nullum habeat rationis usum, nulla utatur libertate, neque sit suarum operationum conscia.* II. *cur in iis etiam, qui alto sopore oppressi sunt, haec omnia contingant.* III. *cur mens non semper ideas claras, atque distinctas producat, aut vicissim cur non semper obscuras & confusas.* IV. *cur rerum sensibilibus nonnisi qualitates, atque modi a nobis cognoscantur.* V. *cur mens caci nati nullam luminis colorisque notionem habeat.* Similiter *cur, gustus vel olfactus organo impedito, nulla saporis, odorisve idea in nobis excitetur; ea vero producat, quamprimum illud impedimentum sublatum fuerit.* VI. *cur stulti & delirantes medicamentorum ope curentur, fiat nempe, ut ordinate in illorum mente producantur ideae, quae antea nonnisi tumultuarie, & sine lege excitabantur.* Nulla, inquam, *sufficiens* horum ratio est; nec esse potest, si humana mens sit tale automa, ut ad rerum notiones, appetitionesque producendas nihil prorsus ei conferat corporis structura & constitutio. Illa quippe ratio, hac facta hypothese, debet esse talis, ut nullo penitus modo a corporis mutationibus, sed tota ab ipsa mentis natura, sive *automatica* vi derivetur, atque dependeat. Ergo &c.

COROLLARIUM.

186. *Posito praestabilita harmonia systemate, dandum necessario est, plura in humana mente contingere, quin derur ratio sufficiens, cur contingant potius, quam non contingant. Dandum est enim, mentem humanam esse spirituale automaton (S: 165.)*

ANIMADVERSIO I.

187. *Rationem sufficientem earum affectionum, quae in humana mente observantur, ex corporis mutationibus desumi debere, docet Cl. Volvius. Ait enim, ex vi representativa universi, situ corporis organici in universo materialiter, mutationibus organorum sensoriorum formaliter limitata, rationem reddi posse omnium eorum, quae de anima observantur (a). Igitur falsum est, quod ille idem docet, mentem scilicet nostram ita vi propria producere omnes perceptiones, & appetitiones independentes ab omni externo principio, nempe a corpore, ut perceptiones ipsae,*

P 2.

G.

(a) *Psychol. ration. in not. S. 529.*

& appetitiones eodem, quo nunc, modo in ipsa anima consequerentur, etiamsi corpus non existeret (a). Non enim video, quomodo, posita illa perfecta mentis a corpore in suis functionibus exercendis independentia: verum esset queat, vim repræsentativam universi, seu productivam perceptionum, ab iis mutationibus *formaliter* limitari, sive determinari, quæ ex rerum externarum appulsu in sensoriiis corporis organis peraguntur. Vis quippe illa ab hisce mutationibus determinari minime posse videtur, nisi ab ipsis quoque dependeat; ac propterea nisi falsum sit, nullo profus modo mentem a corpore dependere; cum aperta jam sit doctissimi Viri sententia, *rationem sufficientem determinantum in determinationibus contineri* (b): & unumquodque ab eo dependere, in quo sufficiens sui ratio comprehenditur (c).

A N I M A D V E R S I O II.

188. Docet Cl. Auctor, omnes mutationes, quæ in anima contingunt, quoad omnes illius facultates tam superiores, quam inferiores a sensatione originem ducere (d). Cum igitur, ipso teste, ratio earum perceptionum, quæ sensationes dicuntur, in iis mutationibus contineatur, quæ in organis corporis nostri, quæ talibus contingunt; ut proinde sensatio sit perceptio per mutationem, quæ fit in organo aliquo corporis nostri, quæ tali, intelligibili modo explicabilis (e), mutationes animæ suam a sensationibus originem sumere haud posse videntur, quin sufficiens illarum omnium ratio in mutationibus organorum sensoriorum corporis comprehendatur; & ideo quin mutationes mentis a mutationibus corporis, non secus atque principiatum a suo principio (f), si eundem Volsum audiamus, re ipsa dependeat. Passiones itaque corporis aliquid ad mutationes animæ re ipsa conferunt; & si quid conferunt, videat Vir summus, quomodo stare possit, præsentiam idearum materialium, motionum scilicet, quæ ex immutatione organorum sensoriorum in cerebro excitantur, ad perceptiones, & appetitiones producendas, nihil profus, ut ipsemet alibi tradit, conferre (g).

A N I M A D V E R S I O III.

189. Per systema, inquit, harmonia præstabilita definitur, vim animæ non dirigi a principio externo, quemadmodum in systemate influ-
xus

(a) Psychol. ration. §. 614.

(b) Ontol. §. 116.

(c) Ibidem §. 851.

(d) Psychol. ration. §. 64.

(e) Psychol. empir. §. 65.

(f) Ontol. §. 868.

(g) Psychol. ration. §. 614.

xus *physici*, & *causarum occasionalium* fieri debet, sed ipsammet animam eandem dirigere, itaut sit totius perceptionis, quam habet, causa *sufficiens* (a); ex quo deinde colligit, humanam mentem independenter adeo ab omni externo principio suas omnes perceptiones atque appetitiones producere, ut *præsentia idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus conferat* (b). Alibi vero docet, *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, qua in corpore nostro contingunt, contineri*; atque hinc *perceptiones rerum materialium in mundo ad spectabili a mutationibus in corpore isto contingentibus dependere* (c). Hæc autem quomodo simul vera esse possint, prorsus ignoro. Si enim mens in suis perceptionibus, atque appetitionibus producendis sit adeo a corpore independens, ut *præsentia idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus conferat*, sitque ipsa mens totius perceptionis *ratio sufficiens*, falsum videtur, *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus corporis contineri*: atque *perceptiones ipsas ab hisce mutationibus dependere*. Si autem ex adverso *sufficiens perceptionum ratio in mutationibus corporis contineatur*, videtur a veritate alienum, humanam mentem ita dirigere suam vim perceptivam, ut ipsa sola sit omnium perceptionum *ratio sufficiens*.

S C H O L I O N.

190. Memoria repetantur hoc loco, quæ diximus (§. 180.), videlicet dici non posse a Cl. Volfio, *rationem sufficientem* sensationum, sive perceptionum rerum sensibilibum, quæ excitantur in anima, contineri in mutationibus, quæ ex rerum earum appulsu in organis sensoriiis fiunt, quatenus nempe series illarum perceptionum determinata in ipsa mente a Deo fuerit ex serie mutationum, quam futuram in corpore Deus ipse præviderit; ac propterea non posse ab eodem dici, perceptiones rerum sensibilibum dependere a mutationibus organorum sensoriorum, non quidem prout existentibus re ipsa, sed prout a Deo prævisis.

A N I M A D V E R S I O IV.

191. Fatetur Volfius, *memoriam a causis materialibus ledi posse*, propterea nimirum quia, cum facilitas reproducendi ideas materiales in cerebro, quæ sensitivæ memoriæ respondet, in actuali quadam

Phil. Ment. T. II.

P 3

muta-

(a) *Psychol. ration. in not. ad §. 613.*

(c) *Psychol. empir. §. 57.*

(b) *Ibidem §. 614.*

mutacione consistat, quæ iterata idea materialis ejusdem, adeoque motus fibrillis nerveis a sensibili in organo impressi, & ad cerebrum propagati productione contrahitur, qualiscunque tandem ea fuerit, a causa materiali pendet, seu talis est, ut motu eodem sæpius repetito, substantia cerebri, seu fibrillis, ex quibus ea constat, nerveis induci possit. Quamobrem cum, quod a causis materialibus beneficio motus producitur, a causis quoque materialibus, eodem motu mediante, vel prorsus destrui, vel ex parte tolli possit, quemadmodum id ad ortum, atque interitum rerum attenti satis superque experimur; illa quoque contracta, ideas materiales reproducendi facilitas vel prorsus destrui, vel ex parte tolli potest (a). Similiter quoniam morbi acuti, inquit Vir Cl., motus irregulares in cerebro producant, imo alii quoque morbi capitis idem faciunt, ac senescente homine, nervis quoque, & consequenter cerebro induci mutatio solet, quamvis non eadem in hominibus singulis, mirum non est, quod memoria, vi morborum acutorum, atque capitis, imo ipsa senectute, sæpius ledatur (b). Memoria igitur, etiam Volfii judicio, ab iis ideis materialibus necessario dependet, quæ in cerebro elaborantur, eique inexistunt. Dependet autem, quatenus reproductione idearum materialium in cerebro opus est, ut ipsæ itidem rerum perceptiones, quas antea habuimus, reproducantur. Ergo, sicuti reproductio perceptionum a reproductione idearum materialium, ita prima illarum productio a prima harum productione necessario dependet. Falsum est igitur, humanam mentem in rerum notionibus producendis nullatenus a corpore dependere, nihilque prorsus ideas materiales in cerebro ad notionum productionem, ut ipse ait Volfius, conferre (c).

ANIMADVERSI O V.

192. De rationis usu verba faciens Cl. Auctor, contendit, usum sermonis facilitari atque amplificari usum rationis, quinimo absque sermonis usu rationis usum vix concedi (d). Igitur a corpore, cui jungitur, necessario dependet mens, ut ratione utatur, nimirum ut ex notionibus universalibus particulares ratiocinando colligat (e). Nullus est enim, si Volfium audiamus, actus, rationis in anima, si in corpore nullus ex iis motibus fiat, qui loquutione excitantur. Fallitur ergo Vir doctissimus, cum ait, animam rationalem producere omnes suas perceptiones, & appetitiones independentem a corpore, adeo ut

(a) Psychol. ration. §. 298.

(b) Ibidem §. 299.

(c) Ibidem §. 614.

(d) Ibidem §. 461.

(e) Ibidem. §. 455.

ut perceptiones ipsæ, atque appetitiones eodem, quo nunc, modo in illa consequerentur, etiamsi corpus non existeret (a). Errat quoque, cum docet, præsentiam idearum materialium ad perceptiones, & appetitiones producendas nihil prorsus conferre (b). Errat, inquam; cum verum esse nequeat, præsentiam idearum materialium in cerebro ad rerum perceptiones appetitionesque producendas nihil prorsus menti conferre, si verum sit, sine usu sermonis non fieri, ut ratione mens ipsa utatur. Neque enim aliud præstat sermo, nisi ut ideæ materiales producantur in cerebro, quæque productæ jam in illo fuerant, iterum excitentur. Quod si dicat Vir Cl., præsentiam idearum materialium in cerebro nihil quidem conferre ad rerum notiones excitandas in anima, conferre tamen ad ratiocinationem, contra est *primo*: quia si motiones cerebri non requiruntur ad producendas rerum notiones, neque ad ratiocinationem iisdem opus est; quippe quæ a notionibus atque judiciis unice dependet. *Secundo*: quia si mens in ratiocinando dependet a corpore, falsum est, quod summus ipse harmonista assumit, mentem scilicet in hoc sibi repræsentando universo independentem adeo esse ab omni externo principio, ut eodem, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret (c). Non unum quippe est naturæ phænomenon, quod, sublata ratiocinatione, nos prorsus lateret. Adde, vitio verti posse Viro Cl., quod palam nullibi factum ab eo fuerit, quomodo in systemate harmoniæ præstabilitæ mens quoad rationis usum a corpore dependeat.

ANIMADVERSI O VI.

193: Superiori doctrinæ hanc subjicit Cl. Auctor: facultates superiores quasi sepulta sunt, ut ne vestigium quidem ipsarum appareat, quamdiu nisi per commercium cum hominibus aliis excitentur. Quamobrem cum absque sermonis usu commercium istud propemodum nullum sit, absque eo facultates superiores ad agendum ne excitantur quidem, nedum exercentur, quantum ad rationis usum sufficit. Qui ex anterioribus percepit, quid proprie sint facultates mentis, is non mirabitur, homini sibi unice relicto, & ab omni commercio hominum sejuncto tam parum prodesse animam rationalem, ita ut absque eadem vitam, quam degit, agere posset, etiamsi facultatibus inferioribus tantummodo gauderet. Imo ubi inter homines degit, magis ipsi prodesse facultates solæ inferiores, quam inter animantia bruta commoranti prodesse possunt superiores. Ete-

P 4.

nim.

(a) Psychol. ration. §. 614.

(b) Ibidem.

(c) Ibidem.

nim in priori casu multa non infeliciter imitatur, quæ sine ratione affecti non fuerant alii, in posteriori autem auxilio facultatum superiorum per se nihil assequitur. Unde patet, non naturam, sed hominem hominem efficere rationalem; siquidem eum demum rationalis titulo dignari volueris, qui ratione utitur, quemadmodum communis fert usus loquendi, et si inconstantiam loquendi rejicientes ab ea discefferimus. Citra tamen inconstantiam loquendi dici potest, hominem efficere, ut homo utatur ratione, & ut eum rationalem esse appareat (a). Hæc Volfius. Igitur, iudicio tanti Viri, I. Facultates animæ superiores adeo dependent in suis functionibus exercendis a commercio cum hominibus, ut, eo sublato, non solum otiosæ consisterent, verum ne quidem in ipsa mente excitarentur. II. Homo enutritus in sylvis, atque ab omni commercio cum hominibus segregatus, nihil prorsus per se, superiorum facultatum auxilio, assequeretur. III. Non ipsa est natura, quæ efficit, ut homo utatur ratione, sed humanum commercium, adeo nempe ut, hoc sublato, nullus usus rationis in homine esset futurus. Vellem itaque scire a Viro doctissimo, quomodo, cum hac doctrina stare queat, humanam mentem in rerum perceptionibus atque appetitionibus producendis independentem adeo esse ab omni externo principio, ut, quemadmodum ipse docet, anima eodem, quo nunc, modo sibi repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret (b). Cum enim, non existente mundo, nullum esset humanum commercium, videtur exercitium superiorum facultatum animæ ab humano commercio, usuque sermonis dependere non posse, quin a mundi existentia ipsum itidem dependeat; ac proinde quin nullum futurum sit, si mundus nequaquam existat. Certum est autem, sine exercitio superiorum facultatum non posse animam hoc universum sibi repræsentare. Ergo hæc mundi repræsentatio esse nequit in anima, nisi mundus re ipsa existat. Aut igitur falsum est, exercitium superiorum facultatum animæ, sive rationis usum, ab humano commercio dependere; aut non est verum, fore ut, etiam adspectabili non existente mundo, anima eodem, quo nunc, modo universum ipsum sibi repræsentaret. Ceterum an dandum sit Viro doctissimo, sublato humano commercio, nullum rationis usum in nobis esse futurum, viderint alii. Id enim inquirere, non est hujus loci. Moneo tantum, exemplum juvenis inter urfos educati, quod ad id probandum assumitur, nihil prorsus Volfio favere. Si enim ideo nullus in illo fuit rationis usus, quia cum jam de statu sylvestris vite interrogaretur, ejus non magis recordabatur, quam nos eorum, quæ acta sunt nobis in cunis vagientibus

(a) Psychol. ration. in not. §. 461.

(b) Ibidem §. 614.

bus (a), dicendum quoque est, secus ac Volfius ipse contendit (b), mentem in somno non cogitare, quia vigilans cogitationis tunc habitæ non recordatur. Adde, juvenem inter gregem urforum captum, ad quem Vir Cl. sæpius provocat, non fuisse, ipso teste, nisi decem annorum, vel circa, ac propterea illius nequaquam atatis, qua necessario est opus, ut, habita ratione educationis, atque ciborum, quibus vesceretur, dici certo possit, ipsum fuisse aptum, ut ratione uteretur.

P R O P O S I T I O VI.

Humanam mentem ita vi propria producere notiones rerum omnium sensibilium, ut, quas producit corpori copulata, easdem, & quidem eodem penitus modo produceret, quamvis neque ipsum corpus, neque adspectabilis mundus existeret, favet idealismo.

194. *Probatum.* Si enim mens eodem plane modo rerum omnium producit ideas juncta corpori, quo easdem produceret, si neque corpus, cui copulata est, neque adspectabilis ipse mundus existeret, perinde omnino est tum ad illarum idearum productionem in anima, tum ad modum, quo producuntur, sive reipsa existant corpora, sive non existant, adeo nimirum ut nihil prorsus ex hoc capite queat colligi, quo realis corporum existentia evincatur. Id autem iis favere, qui, rejecta *reali* existentia corporum, nonnisi *idealem* eorundem in mente admittunt, videtur perspicuum. Sequitur enim, sensuum testimonio tam solemne delirium convelli nullatenus posse, eosque turpiter hallucinari, qui, ut corpora reipsa extare demonstrant, ad sensuum experientiam provocant. Ergo sententia, quæ ponit, id idearum productionem perinde esse animæ, sive reipsa existant corpora, sive non existant, favet *idealismo*.

Confirmatur. Favet *idealismo*, quicumque asserunt, realem adspectabilis mundi existentiam nulla posse naturali ratione probari, sed tantum credi. Hinc enim fit, ut, qui nullam habent fidem, negare realem mundi existentiam possint, quin tanti erroris jure queant convinci. Posita autem illa independentia mentis a corpore in rerum notionibus producendis, nulla est amplius ratio naturalis, qua realis corporum existentia evincatur; cum omnis hujuscemodi ratio testimonio sensuum innixa sit, ab eoque dependeat. Ergo tanta mentis

(a) *Ptychol. ration.* §. 461.

(b) *Ibidem in not. ad §. 194.*

tis a corpore in producendis rerum notionibus independentia *idealismo* plurimum faver, atque ad tam grande propugnandum delirium media suppeditat.

COROLLARIUM.

195. *Nullum est præstabilitæ harmoniæ systema, nisi pro vero habeatur principium, quod viam ad idealismum sternit. Nullum est enim hoc systema, nisi hujuscemodi sit mens, ut quas modo habet rerum notionibus, easdem prorsus haberet, quamvis adspectabilis mundus nequaquam existeret.*

ANIMADVERSI O I.

196. Hanc mentis a corpore in sensibilibus rerum notionibus producendis independentiam favere *idealismo*, non ignoravit Volfius. Postquam enim dixerat Vir summus, humanam mentem independentem adeo ab omni externo principio suas omnes perceptiones appetitionesque producere, ut eodem, quo nunc, modo sibi repræsenteret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret (a), hæc habet: *idealista hoc perspicientes, & de distincte explicando commercio animæ, & corporis, imo in genere & de distincta explicatione actionis corporum in se invicem, ac corporis in animam, & animæ in corpus desperantes, ideo negarunt, Mundum adspectabilem, quem anima sibi repræsenteret, existere. Quemadmodum vero in omni errore inest aliquid veri, ut ideo sæpe error viam ad veritatem sternat, ita quoque hypothesis idealistarum quidpiam vera habet, hoc nempe supposito, quod influxus physicus nullus sit. Cartesius, qui perceptiones rerum sensibilibus a voluntate numinis derivavit, similiter agnovit, Deum animam ita modificare posse, ut Mundum adspectabilem eodem, quo nunc, modo sibi repræsenteret, utut is extra animam non existat, quemadmodum ex meditationibus ipsius intelligitur, in quibus de existentia corporum dubitat, eorumque existentia ex notione veritatis divinæ demonstrare conatur. In ipsius tamen systemate moraliter necessarius est ad perceptiones animæ, propterea quod Deus non producit in anima perceptionem, nisi ad præsentiam ideæ materialis in cerebro secundum concursum suum ordinarium, de quo hic sermo est. Ast in systemate harmoniæ præstabilite nullo modo necessarium est, ut Mundus adspectabilis actu existat, siquidem anima eo, quo nunc, modo eundem sibi repræsenteret (b).*

Alibi.

(a) Psychol. ration. S. 614.

(b) Psychol. ration. in not. ad S. 614.

Alibi quoque fatetur Vir eximius, sensuum experientia non posse idealistarum delirium convelli. Ait enim: si non ad alia provoces, nisi qua sensu percipiuntur, idealistas minime convinces erroris sui; cum ea, qua sensu percipiuntur, admittant, sed tamquam in anima representata, non vero tamquam extra se existentia (a), quatenus nempe juxta idealistas, phenomena eodem modo in anima percipiuntur, ac si Mundus materialis revera existeret, & in eo corpora easdem mutationes subirent, que anima apparent (b): quod certe perinde est, ac si dixisset, idealistas ex hoc capite minime posse erroris convinci; quia, si harmonistas audiamus, perceptiones, & appetitiones in anima eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret; & anima eodem, quo nunc, modo sibi representaret hoc universum, etiamsi Mundus adspectabilis non existeret (c).

ANIMADVERSIO II.

197. Ait Volfius, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita fieri vi solius *mechanismi* citra ullam determinationem extrinsecam ab anima dependentem, ut eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret, nisi quod nobis eorundem minime consciis essemus (d). Mens igitur non esset conscia eorum motuum, qui fiunt in corpore, si a corpore separata existeret. Modo vero eorundem conscia est, quia corpori unita. Ergo in ipsa unione continetur hujusce conscientia, sive *apperceptionis*, ut ipsius Volfii verbo utar (e), ratio *sufficiens*; ac proinde, juxta ejusdem Cl. Viri principia, dependet mens, ut illa conscientiam habeat, a sua unione cum corpore; adeoque etiam ab ipso corpore (f). Falsum est ergo, quod ille docet, mentem scilicet nostram ita *vi propria* producere omnes suas perceptiones independentem ab omni externo principio, ut illa omnes eodem, quo nunc, modo in ea consequerentur, etiamsi corpus non existeret (g).

ANIMADVERSIO III.

198. Quoniam certissime constat, nos esse conscios eorum motuum, qui ad mentis nostræ nutum in corpore fiunt, certissima quoque res est, mentem nostram esse corpori copulatam; & ideo corpus ipsum existere; atque hinc existere etiam ea, ex quorum appulsu mutationes quædam in corpore excitantur. Enimvero, si

(a) Theol. natur. P. II. in not. ad §. 624.

(b) Ibidem,

(c) Psychol. ration. §. 614.

(d) Ibidem §. 616.

(e) Psychol. empiricæ §. 25.

(f) Ontologix §. 851.

(g) Psychol. ration. §. 614.

aliquid modo contingit in anima corpori copulata, quod in ea non contingeret, si a corpore esset sejuncta, aliquid in ea accidit, existente corpore, quod minime in illa fieret, corpore non existente. Dubium igitur esse nequit, quin corpus existat; ac propterea potest realis corporum existentia ex iis, quæ in nobismetipsis experimur, & per intimum sensum cognoscimus, certo ostendi. Aut ergo falsum est, fore, ut minime conscii essemus motuum, quin in corpore peraguntur, si anima in illo non existeret, quemadmodum ipse ait Volfius; aut idem fallitur, cum docet, demonstrationem optari a nemine posse, *qua, nondum suppositis Dei attributis, independenter ab omnipotentia, & decreto Dei, realis corporum existentia evincatur*; propterea nimirum quia neque a posteriori, scilicet beneficio sensuum, neque a priori nempe *vi intellectus*, illa queat ostendi (a). Ea enim sufficiens hujusce rei demonstratio nobis est, quæ ex intimo sensu desumitur.

PROPOSITIO VII.

S. Scripturæ, atque Patribus contrarium aperte est, mutationes, quæ ex rerum sensibilibus appulsu in organis sensoriis sunt, ad perceptiones appetitionesque excitandas in anima nihil prorsus conferre.

199. *Probatur.* Mutationes organorum sensoriorum corporis ex rerum sensibilibus appulsu nihil prorsus conferre ad rerum earum perceptiones, appetitionesque in anima excitandas, S. Scripturæ, atque Patribus aperte contrarium est, si tum Scriptura, tum Patres manifeste doceant, impediri a nobis posse, ne rerum externarum notiones acquirat mens, & ne eas deinde appetat, hoc ipso dumtaxat, quod prohibeatur, ne sensoria corporis organa a rebus ipsi immutentur. Perinde est enim ad perceptiones, & appetitiones rerum externarum excitandas in anima, sive ab ipsis rebus immutentur, sive non immutentur organa sensuum, si organorum passiones nihil adeo conferant ad eas affectiones in mente producendas, ut affectiones ipsæ eodem modo excitarentur in anima, si corpori non esset unita, quo in ea excitantur, corpori copulata. Scriptura autem, atque Patres aperte docent, & quidem non uno, sed sexcentis in locis, impediri, ne humana mens cognoscat res sensibiles, atque hinc ne in illas desiderio inordinato feratur, si externi sensus ita custodiantur, ut a rebus ipsis immutari nequaquam possint. Etenim primo: *pepigi*, inquit Job,

(a) Theol. nat. P. II. in not. ad §. 645.

foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine (a): quod expones S. Gregorius Papa, hæc habet: cum sit invisibilis anima, nequaquam corporearum rerum delectatione tangitur, nisi quod inherens corpori, quasi quadam egrediendi foramina, ejusdem corporis sensus habet. Visus quippe, auditus, gustus, odoratus, & tactus quasi quedam via mentis sunt, quibus foras veniat, & ea, quæ extra ejus sunt substantiam, concupiscat. Per hos etiam corporis sensus, quasi per fenestras quasdam, exteriora quæque anima respicit, respiciens concupiscit. Hinc etenim Jeremias ait: ascendit mors per fenestras nostras. Mors quippe per fenestras ascendit, & domum ingreditur, cum per sensus corporis concupiscentia veniens, habitaculum intrat mentis. Quo contra hoc, quod jam sæpe diximus, de justis per Isaiam dicitur: qui sunt hi, qui ut nubes volant, & quasi columbæ ad fenestras suas? Justi namque volare, ut nubes, dicti sunt, quia a terrenis contagiis sublevantur, & quasi columba ad fenestras suas sunt; quia per sensus corporis exteriora quæque intentione non respiciunt rapacitatis, eosque foras non rapit concupiscentia carnalis. Quisquis vero per has corporis fenestras incaute exteriorius respicit, plerumque in delectationem peccati, etiam nolens cadit, atque obligatus desiderii, incipit velle, quod noluit. Præceptum quippe anima dum ante non providet, ne incaute videat, quod concupiscat, cæca post incipit desiderare, quod vidit. Unde & Propheta mens, quæ sublevata sæpe mysteriis internis intererat, quia alienam conjugem incaute vidit, obtenebrata postmodum sibi met illicite conjunxit. Sanctus autem Vir, qui acceptis corporis sensibus, velut subjectis ministris, quidam acerrimus iudex præest, culpas conspicit, antequam veniant, & velut insidiantium morti fenestras corporis claudit, dicens: pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine. Ut enim cogitationes cordis caste servare potuisset, foedus cum oculis pepigit, ne prius incaute aspiceret, quod postmodum invitus amaret. Valde namque est grave, quod caro deorsum trahit, & semel species forma cordi per oculos illigata, vix magni luctaminis manu solvitur. Ne ergo quadam lubrica in cogitatione versemur, providendum nobis est; quia intueri non decet, quod non licet concupiscere. Ut enim munda mens in cogitatione servetur, a lascivia voluptatis suæ deprimendi sunt oculi, quasi quidam raptores ad culpam (b), Secundo: docet Scriptura, avertendam esse faciem a muliere compta, & minime circumspiciendam speciem alienam (c), quia scilicet propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia, quasi ignis, exardescit (d), quatenus nempe visionem comptæ mulieris con-

fe-

(a) Cap. XXXI. v. 1.

(b) Lib. XXI. *Moralium* cap. 2.(c) *Ecclesiastici* cap. IX. v. 8.(d) *Ibidem* v. 9.

sequuntur in anima, non secus ac effectus suam causam, inhonestæ cogitationes, concupiscentia per eam accenditur, & turpia desideria excitantur. Unde doctissimus Cornelius a Lapide, *oculi, inquit, sunt proxeneta peccati. Sicuti enim proxeneta mediator est inter emptorem, & venditorem ad ineundum contractum, ita oculi mediatores sunt cordis, & mulieris speciosa, illudque cum hac conciliant, & calligunt (a)*. Hinc Christus Dominus, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam, inquit, *mœcatus est eam in corde suo (b)*. Quod autem hic de visu dicitur, ait laudatus celeberrimus Auctor, *id a pari intelligendum est de auditu, tactu, cogitatu. Visum tamen præ aliis Christus nominat, quia oculi sunt in amore duces; & ut moneat castis, maxime illos esse continendos, & coercendos. Cum ergo ait: qui viderit mulierem, significat visum esse originem, & causam concupiscentiæ, & luxuriæ (c)*. Tertio: Evæ lapsus non alia, Divinæ Scripturæ testimonio, fuit causa, nisi quia incaute vidit, & nimis curiosè lignum contemplata fuit mulier, quod ne attingeret, illi jam prohibuerat summus Conditor aque ac Legislator Deus. *Neque enim, teste S. Gregorio Papa, Eva lignum vetitum contigisset, nisi hoc pius incaute conspiceret. Scriptum quippe est: vidit mulier, quod bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis aspectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit. Unde rectissime colligit S. Doctor, quanto debeamus moderamine erga illicita visum restringere nos, qui mortaliter vivimus, si & mater viventium per oculos ad mortem venit (d)*. Demum ne super recentissima longior sim, refert Scriptura, a Discipulis euntibus in Emmaus cognitum minime fuisse Christum Dominum cum illis ambulantem, quia *oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent (e)*, hoc est quia Christus sua omnipotenti virtute tunc prohibuit, ne in eorum oculis sua formaretur imago, atque hinc ne sui ipsius notio in ipsorum mentem excitaretur, quemadmodum omnes explicant Patres, atque Theologi, quamvis inter eos non conveniat, quomodo non Christi, sed peregrini imago in illorum oculis depicta tunc fuerit (f). Dubium igitur esse nequit, quin, juxta Scripturam, & Patres, cogitationes mentis a mutationibus, quæ in organis sensoriiis fiunt, adeo dependeant, ut mutationes ipsæ sint veluti naturalis cogitationum causa. Ergo tam S. Scripturæ, quam Patribus aperte ea adversatur opinio, quæ ponit, mutationes organorum sensoriorum corporis ad rerum perceptiones, atque appetitiones excitandas in anima nihil profus conferre.

Co-

(a) Comment. ad hunc locum.

(b) *Matthæi* cap. V. v. 28.

(c) Comment. ad hunc locum.

(d) Lib. XXI. *Moralium* ca p. 2.(e) *Lucæ* cap. XXIV. v. 16.

(f) Vide Cornel. a Lapide ad hunc locum.

COROLLARIUM.

200. *Præstabilita harmonia systema tum S. Scripturæ, tum S. S. Patribus plane adversum est.* Nullum quippe illud est, nisi pro re certa habeatur, mentem in suis perceptionibus, appetitionibusque producendis independentem adeo esse a corpore, ut hujus passiones nihil omnino ad illarum productionem conferant.

S C H O L I O N.

201. Ex dictis §. 180. satis patet, opponere neminem posse, mutationes organorum sensoriorum corporis ex rerum appulsu provenientes, nihil quidem menti conferre ad rerum ideas producendas, si mutationes ipsæ spectentur, prout sunt in re; secus vero, si sumantur prout in divina prævisione. Ostensum est enim, ideas rerum, juxta systema *præstabilita harmonia*, non fuisse a Deo determinatas in anima, propterea quod præviderit, quæ mutationes essent in organis sensoriis ex sensibilibus rerum appulsu sequuturæ.

ANIMADVERSIO I.

202. Docet Volfius, *nullum systema explicandi commercium inter mentem atque corpus Scripturæ sacræ adversum esse posse, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt, & debent* (a). Quæro igitur a Viro doctissimo, an *præstabilita harmonia* systema stare possit, & debeat, licet ponatur, mutationes organorum sensoriorum corporis, sive, ut illius verbo utar, *ideas materiales in cerebro*, ad perceptiones, & appetitiones producendas aliquid re ipsa conferre. Id enim si detur, dicam, systemati *præstabilita harmonia* ab ipsomet Volfio admisceri errorem, qui abesse potest, & debet, cum ab eo dicitur, *in hoc systemate præsentiam idearum materialium in cerebro ad perceptiones & appetitiones producendas nihil prorsus conferre* (b); nam error est, ut modo demonstravimus, mentem nostram a mutationibus organorum corporis in suis cogitationibus producendis re ipsa non dependere. Si vero *præstabilita harmonia* systema stare nequit, nisi mens sit a corpore in suis producendis perceptionibus atque appetitionibus omnino independens; sique propterea error, qui abesse possit & debeat, huic

(a) *Psychol. ration.* §. 545.

(b) *Ibidem* §. 614.

huic ſyſtemati non admisceatur, cum illa mentis a corpore independētia in ipſo ſyſtemate, principii loco, aſſumitur, dandum neceſſario eſt *ſyſtema harmoniæ præſtabilitæ* adverſari ſacræ Scripturæ, licet nullus plane error illi ex invidia admisceatur; cum res ſit perſpicua, palmarem eſſe errorem contra Scripturam, & Patres, humanam mentem nullatenus a corpore, cui copulata eſt, in rebus percipiendis appetendisque dependere. Falſum eſt igitur, *nullum ſyſtema explicandi commercium inter mentem, atque corpus Scripturæ ſacræ adverſum eſſe poſſe, niſi eidem admisceantur errores, qui abeſſe poſſunt & debent.*

A N I M A D V E R S I O II.

203. Fallitur Vir eximius, ſi adverbium *tum demum* perinde ei ſit, ac ſolum, cum inquit: *Tum demum fieri poſſet, ut ſyſtema aliquod ad explicandum commercium inter mentem atque corpus excogitatum, Scripturæ ſacræ contradiceret, ſi eadem alicubi rationem redderet commercii iſtius, hoc eſt, diſtincte explicaret, undenam ſit, ut poſitis mutationibus in organo ſenſorii, atque hinc pendentibus ideis materialibus in cerebro, ponantur in anima perceptiones; & viciffim, poſitis anima appetitionibus, ponantur motus ſpontanei ac voluntarii in corpore (a).* Fallitur, inquam, quia ſyſtema explicandi commercium mentis cum corpore poteſt ſacræ Scripturæ duplici modo adverſari. Refragari enim ei poteſt *primo*, ſi explicatio iſtiusmodi commercii, quæ in aliquo ſyſtemate exhibetur, ſit illi adverſa, quæ in ſacræ Scripturæ nobis aperte traditur. *Secundo*, refragari eidem poteſt, ſi ad hoc explicandum commercium aliqua, principii loco, aſſumantur, quæ vel Divinis S. Scripturæ oraculis manifeſte contraria ſint, vel ſint huiusmodi, ut quædam inferri ex illis legitime queant, iis minime contentanea, quæ in Divinis literis aperte traduntur. Nullum ſyſtema explicandi iſtiusmodi commercium opponi S. Scripturæ *primo modo*, ſcilicet *directe*, non inficior. Nullibi enim in ea explicatur, quomodo anima copulata ſit corpori, & qua ratione fiat, ut certus motus corporis quibuſdam operationibus mentis, & viciffim quædam operationes mentis certis corporis motibus conſtanti lege respondeant. At omnino falſum puto, nullum ſyſtema hac ſuper re vel hæcenus excogitatum, vel deinceps excogitabile, poſſe S. Scripturæ eam ob cauſam, ne quidem *ſecundo modo*, ſcilicet *indirecte* refragari, quia *in Scripturæ ſacræ non occurrunt, niſi quæ ad commercium*

(a) *Psychol. ratio.* in not. ad §. 545.

cium ipsum, scilicet ad dependentiam sensationum à mutationibus organorum sensoriorum, & motuum spontaneorum ac voluntariorum ab appetitionibus, atque aversationibus animæ, spectant (a). Id, inquam, omnino falsum puto. Excogitari enim potest systema, quod principiis innitatur, ex quibus necessario sequantur aliqua sacrae Scripturae oraculis prorsus adverfa. Profecto in systemate causarum occasionalium, ipso auctore Volvio, anima destituitur vi activa, qua motus in corpore producitur, & tantummodo per volitiones suas Deo istos producendi occasionem præbet; corpus vero destituitur vi activa, qua perceptiones animæ producere valet, & tantummodo per ideas materiales in cerebro productas Deo occasionem præbet illas producendi (b); ut proinde nullum sit hoc systema, quemadmodum vidimus suo loco, nisi humana mens ponatur substantia vi activa penitus destituta. Hinc autem ad liberum arbitrium animæ denegandum viam sterni; & ideo aliquid assumi in hoc systemate, quod cum sacra Scriptura nequeat conciliari, nemo non videt. Ergo potest aliquod systema indirecte S. Scripturae adversari. Harmonistis quoque loco principii est, motiones corporis ad producendas cogitationes mentis nihil prorsus conferre; totumque corrumpit eorum systema, nisi hæc mentis a corpore independentia admittatur. Id autem non esse sacrae Scripturae consentaneum, satis aperte superiori loco demonstravimus. Ergo, quamvis divina Scriptura nullibi rationem reddat commercii, quod mentem inter atque corpus est, attamen præstabilita harmonia systema haud potest, salva divinarum literarum auctoritate, a nobis defendi. Miror tamen, dixisse Cl. Volvium, tum demum fieri posse, ut systema aliquod ad explicandum commercium inter mentem atque corpus excogitatum, Scriptura sacra contradiceret, si eadem alicubi rationem redderet commercii istius; hoc est, si distincte id explicaret. Miror, inquam, etenim licet creatio mundi sensibilis apertissime in sacra Scriptura tradatur, realemque corporum existentiam illa nobis manifeste exhibeat, ejusdem tamen Cl. Viri est aperta sentia, necessarium non esse, ut idealista sit antiscripturarius (c), seu negare quempiam posse realem corporum existentiam, quin sacrae Scripturae refragetur.

ANIMADVERSI O III.

204. Ex his apparet, audiendum non esse Virum doctissimum;
Phil. Ment. T. II. Q cum

(a) Pŷcol. ration. S. 545.

(b) Ibidem S. 592.

(c) Theol. natur. P. II. . 641.

cum ait: *veritatibus revelatis suis stat honos, qualecunque tandem systema defendatur, modo eidem non admisceantur errores, qui ad idem non spectant, sed per leges bonæ methodi abesse debent; neque Philosophus turbat dogmata Theologica, quamcunque tandem de commercio isto foveat opinionem* (a). Patet enim, *præstabilitæ harmoniæ systema adversari sacræ Scripturæ, quin ullus error injuste prorsus ipsi systemati admisceatur. Theologica quoque dogmata turbat Philosophus, si ratum ei fixumque sit, id omne posse tuta fide admitti, quod S. Scripturæ directe non adversatur. Hinc enim sequitur, ea tantum dogmata posse jure ac merito inter Theologica collocari, & ideo ea tantum a nobis esse divina fide credenda, quæ in sacris Literis clare distincteque traduntur: quod tamen quam vero abhorreat, nemo Catholicorum non videt. Itaque consequentiarii mihi non imponat crimen Cl. Auctor, si dixerò, doctrinam hanc suam Lutheranismum redolere. Solemne quippe fuit Lutherò, non aliam doctrinam in Ecclesia tradi & audiri debere, quam purum verbum Dei, hoc est, sacram Scripturam* (b); ac propterea illa dogmata tantummodo pro Catholicis habenda a nobis esse, quæ in verbo Dei scripto expresse continentur.

A N I M A D V E R S I O IV.

205. *Theologo non interest, addit Cl. Volfius, quodnam de commercio inter mentem ac corpus systema defendat Philosophus? cumque non inutile sit, sistemata quacunque excoli, & in foro philosophico de iisdem disputari, Theologus etiam Philosophæ suam statuendi libertatem illasam relinquere potest* (c). Sed, bona tanti Viri venia, dico, id minime a nobis posse admitti. Arbitror quippe in primis, nimis interesse Theologo catholico, & quidem hoc præsertim ævo, in quo nonnisi nova placent, probe scire, quodnam de commercio mentis cum corpore systema Philosophi defendant. Etenim nulla ferme in universa Philosophia quæstio occurrit, in qua facilius, quam cum hac de re agitur, Catholicæ fidei dogmatibus, morumque doctrinæ queat labes inferri. Profecto equis est, qui nesciat, posse nonneminem, hujusce commercii explicandi causa, pessime de humana libertate sentire, ansam idealistis dare, atque ad fatalismum, aliaque id genus deliria, viam apertissimam sternere? Si *Theologo non interest, quodnam de commercio inter mentem ac corpus systema defendat Philo-*

(a) Psychol. ration. §. 546.

(b) Comment. in cap. I. Epist. ad Galatas.

(c) Psychol. ration. §. 546.

Iosophus, eodem ipso jure interesse Theologo haud poterit, quid de humanæ mentis *spiritualitate*, *immortalitate*, atque *origine* quisquis itidem sentiat. Liberum ergo erit Philosophis omnibus, quæ sibi magis placent, quantumvis pravæ sint atque turpes, opiniones defendere, easque, veluti certa dogmata, impune docere. Etenim, si Theologici juris non est, in Philosophorum placita inquirere, & æqua Sanctuarii lance ea omnia pensare, nemo erit, qui frœna illis imponere legitime possit. Itaque, cum, teste S. Augustino, ad Theologos scire pertineat, quemadmodum Catholica fides & piis opituletur, & contra impios defendatur (a), malam redolere mihi videtur fidem, quisquis tenet, non interesse Theologo, quodnam Philosophus de commercio mentis cum corpore systema defendat. Ad id vero, quod dicitur de Philosophica hypothesium disceptatione, permitto, rem esse non iutilem, *systemata quacunque excoli*, & *in foro philosophico de iisdem disputari*. Cum enim, ut præclare advertit laudatus S. Doctor, *nulla falsa doctrina sit, quæ non aliqua vera intermiscet* (b), utque habet Lactantius, nulla fuerit secta tam devia, neque Philosophorum quisquam tam inanis, *qui non viderit aliquid veri* (c), omnium Philosophorum scrutari doctrinas, eorumque hypotheses expendere, potest ad detegendam veritatem *sparsam per singulos, per sectasque diffusam* (d), conferre plurimum. Cavendum tamen quammaxime a nobis esse, arbitror, ne hac de causa aliquid admittatur, quod S. Scripturæ contrarium vel levissime sit, Patrumque doctrinæ nequaquam consentiat. Nec enim frustra nos admonet S. Augustinus, ut eos omni caveamus studio ac diligentia, *qui secundum elementa hujus mundi philosophantur, non secundum Deum* (e), hoc est, qui ingenio adeo indulgent suo, tantumque naturali rationi deferunt, ut in iis, quæ ad Philosophiam pertinent, sacrarum Scripturarum auctoritatem nihili faciant, contemnent Ecclesiæ vocem, sibi que neminem mortalium posse leges præscribere, summa temeritate & audacia contendunt. Non est autem, cur hoc super negotio plura verba faciam, cum nemo sit, ut arbitror, quem lateat, quantum mali fecerit olim, & faciat modo, nimia quorundam in philosophando licentia. Sciat postremo Cl. Volfius, nunquam me ei daturum, *posse Theologum suam statuendi libertatem illesam Philosopho relinquere*, cum de modo explicandi mutuum inter mentem atque corpus commercium differitur. Etenim, si a Theologis

Q 2

re-

(a) Lib. XIV. de Trinitate n. 3., alias c. 1.

(d) Lactant. lib. VII. D'vin. Instit. cap. 7.

(b) Lib. II. qq. Evangel. q. 40. n. 2.

(e) Lib. VIII. de Civitate Dei cap. 10. n. 1.

(c) Lib. VII. Divin. Instit. cap. 7.

relinquenda cuique Philosophorum est, quod de hoc commercio magis arridet, statuendi licentia, dandum erit *materialistis*, ut, omni rejecta spiritali substantia, quidquid in Mundo existit, corporeum dicant: *idealists*, ut realem sensibilibus Mundi existentiam negent: *fatalists*, ut absolutæ necessitati humanas actiones subjiciant: *occasionalists*, ut omnem penitus agendi vim menti humanæ subtrahant: ipsis demum *harmonists*, ut mentem & corpus veluti duo a se mutuo penitus independentia *automata* nobis exhibeant, doceantque impune, perinde esse animæ, quidquid corpus patitur, vel agat. Hæc autem numquam dabunt Theologi catholici. Quamobrem neque Philosophis permittent unquam, ut de causa commercii mentis cum corpore, quod eorum palato magis sapidum est, pleno jure constituent.

A N I M A D V E R S I O V.

206. Jure inquirendi in Philosophorum dogmata Theologis denegato, in hæc demum verba prorumpit Cl. Auctor: *utinam hæc probe perpenderent, qui auctoritate Scripturæ sacræ abusi, limitibus alienis sese immiscent, sæpe non absque religionis veræ detrimento; cum, locis Scripturæ in perversum sensum detortis, hominibus profanis ac impiis ansam præbeant, Scripturam sacram sugillandi, suamque auctoritatem prostituunt. E re igitur fuit, corollarium præsens præcedenti propositioni jungi (a). Grave igitur ne sit Viro doctissimo, si, quemadmodum e re ipsi fuit, hoc corollarium præcedenti propositioni subjicere, e re quoque nostra fore arbitremur, ipsum monere, ac certum reddere, primo: Theologos catholicos non abuti auctoritate divinæ Scripturæ, cum, illius oraculis insistentes, Philosophorum limitibus eo sese immiscent consilio, ut nimix quorundam licentiæ justa frœna imponant, consulantque indoctis, ne per Philosophiam, & inanem seductionem ab illis decipiantur (b). Ut enim sapienter advertit, & optime explicat Vir celeberrimus Ludovicus Antonius Muratorius, semper ratio, semper Philosophia, aliarumque artium documenta cedere fidei, sacrisque literis debent, aliquid evidenter tradentibus; non autem sacra litera, ac Theologia aliquid evidenter narrantes, submitte sunt rationi, ac Philosophiæ, quamquam & istæ evidentiam jactent a suis partibus quammaximam. Et æquissime id ab ipsa ratione exigitur. Cum sacris enim literis, & cum fide ac revelatione divina perpetuo & necessario conjuncta est veritas. Igitur falsum sit necesse est, quod a perspicua*

(a) Psycol. ration. in not. ad §. 546.

(b) Ad Coloss. cap. II. v. 8.

cua fidei eruditione dissentit. Neque enim alia esse potest Theologorum veritas, alia Philosophorum, alia Dei, alia hominum; ac proinde cedat oportet ratio fidei, non fides rationi, sicut equum est, ut homines Deo, non Deus hominibus cedat (a). Secundo: ratum nobis fixumque esse, jus a Deo datum esse Ecclesiæ coercendi temerarias illorum mentes, qui S. Scripturam privatae rationis suæ consilio interpretantur, neque aliter exponendam a nobis ipsam esse contendunt; & ideo merito atque optimo jure confixum ab ea censorio stigmate fuisse Lutherum non minus temere, quam falso docentem, interpretem S. Scripturæ esse spiritum particularem, quem quisque habuit, dum Scripturam diligenter legit (b); iisque itidem omnibus rectissime inuisse notam, qui cum Arminio, & Episcopio Remonstrantium primipilis perperam putant, Scriptores sacros in iis rebus, quæ ad salutem non pertinent, memoriæ, vel ignorantia vitio errare potuisse, quinimo non semel fuisse in errorem lapsos. Tertio: nullum prorsus iis esse periculum detorquendi loca S. Scripturæ in perversum sensum, qui in illis omnibus divinis explicandis oraculis SS. Patrum vestigia sequuntur, neque ab Ecclesiæ sensu vel latum unguem discedunt; contra vero iis errandi periculum imminere maximum, quinimo ipsos errare sæpissime, atque hinc ansam præberi hominibus profanis ac impiis criminandi S. Scripturam, ejusque infallibilem auctoritatem prosterneendi; qui proprio ingenio toti hac in re innixi sunt, seque ipsos tantummodo consulunt. Postremo: nullum in veram religionem detrimentum provenire ex eo posse, quod Theologi catholici ad expendenda Philosophorum dogmata S. Scripturam adhibeant, nisi forte verae religionis nomine eam, quam ipse profitetur, Vir doctissimus intelligat. Tunc enim eidem damus & ipsi, Philosophorum limitibus sese immiscere neutiquam posse Theologos, quin maximum illa detrimentum subeat, semperque hanc ob causam sit subitura. Dixi autem, nullum in veram religionem, in eam scilicet, quam tenet Romana Ecclesia, posse hinc detrimentum derivari. Certissima quippe mihi res est, verum vero contrarium nec esse modo, nec unquam esse futurum. Ceterum turpiter hallucinatur Cl. Volfius, si tantæ auctoritatis se esse putet, ut Theologis catholicis possit leges præscribere. Plurimum, & jure quidem, ei semper dabunt Mathematici, neque parum Philosophi; sed certo sciat, Theologos catholicos nihil prorsus ipsi unquam esse duros.

Phil. Ment. T. II.

Q 3

PRO-

(a) De moderamine ingeniorum lib. I. cap. 21.

(b) In Præf. assert. artic. & in assert. artic. 27, 28, 29.

P R O P O S I T I O VIII.

Inhonestati ea plurimum favet opinio, quæ ponit, ad sensibilibus rerum perceptiones & appetitiones excitandas in anima nihil adeo mutationes illas conferre, quæ a rebus ipsis in organis sensoriis fiunt, ut easdem ipsas perceptiones atque appetitiones haberet mens, quas habet modo, quamvis neque corpus, neque adspēctabilis mundus reipsa existeret.

207. *Probat*ur. Ea opinio inhonestati quammaxime favet, ex qua apertissime sequitur, ad fovendas honestas cogitationes, turpesque vitandas perinde esse omnino, qualiscunque externorum sensuum cura adhibeatur. Si namque ad hominem interiorem recte instituendum nihil prorsus facit cura hominis exterioris, dandum dubio procul cuique est, ut libere sensibus indulgeat suis. Nec enim aliquid mali, hac hypothēsi facta, contingere animæ potest, si illis laxentur frœna; neque aliquid boni, si inordinati illorum motus summa etiam diligentia, omnique studio coerceantur. Posito autem, ad sensibilibus rerum perceptiones, appetitionesque in anima excitandas nihil adeo conferre passiones organorum sensoriorum corporis, ut eadem ipsæ perceptiones atque appetitiones, quæ in illa contingunt, dum corpori copulata est, in eadem consequerentur, non solum licet corpori non esset unita, verum etiam licet neque corpus ipsum, neque sensibilibus mundus existeret, nihil penitus facit externorum sensuum cura ad honestas fovendas cogitationes, turpesque vitandas. Quod enim nihil confert ad aliquod producendum, illius non requiritur existentia, ut effectus ipse producat. Ergo inhonestati ea plurimum favet opinio, quæ asserit, passiones organorum sensoriorum corporis ad productionem perceptionum atque appetitionum nihil prorsus menti conferre.

S C H O L I O N.

208. Externorum sensuum custodiam ad interiorem regulandum hominem, riteque instituendum conferre plurimum, quinimo necessario requiri, non est, quod ostendam. Id quippe certum est adeo, ut ab illo tantum possit in dubium verti, qui vel carne careat, vel ipsi experientiæ velit apertissime refragari. Divinæ autem Scripturæ, atque Patrum testimonia, quibus luculenter demonstrari id ipsum potest, lubens prætereo. Ex iis enim, quæ in præcedentis propositionis de-

demonstratione dicta sunt, satis superque patet, hac super re quæ sit sacrarum Literarum, Patrumque sententia.

S C H O L I O N II.

209. Quæ diximus (§. 180.), hoc etiam loco velim repetantur, videlicet mutationes corporis neque ut existentes, neque ut prævisas, aliquid vel minimum ad rerum ideas producendas, juxta *præstabilitæ harmoniæ* systema, menti conferre; & ideo reponere non posse *harmonicis*, fore, ut anima inhonestis careret cogitationibus, si sensuum refrenatio prævisa fuisset in corpore, cui destinabatur.

C O R O L L A R I U M.

210. *Præstabilitæ harmoniæ systema ad inhoneste vivendum viam apertissimam sternit.* Illius enim fundamentale principium est, passiones organorum sensoriorum corporis ad rerum sensibilibus perceptiones, atque appetitiones in anima excitandas nihil prorsus conferre (§. 165.).

A N I M A D V E R S I O.

211. Nisi velit Cl. Volfius, passiones externorum sensuum non solum impedire posse, ne mens honeste cogitet, verum etiam posse efficere, ut inhonestis cogitationibus ipsa torqueatur, quamvis in suis producendis perceptionibus atque appetitionibus illa sit a corpore, ut ipse docet, omnino independens, nihilque ad illarum productionem conferat præsentia idearum materialium in cerebro (a); atque hinc nisi velit, pugnantia simul in uno posse componi, fateatur necesse est, se in errorem fuisse lapsum, cum docuit, *in gratiam systematis commercium inter mentem & corpus explicandi, in Philosophia practica nihil esse immutandum* (b). Constat enim, in gratiam systematis *harmoniæ præstabilitæ*, cui ipse tam aperte patrocinatur, dicendum esse, ad interiorum tuendam honestatem nihil prorsus conferre externorum sensuum disciplinam; ac propterea non habere locum solemne illud Christianæ Moralis principium, quod nobis toties inculcant divinarum Literarum, & SS. Patrum oracula, videlicet *ad custodiendam cordis munditiam, exteriorum sensuum disciplinam servari*

Q 4

debere

(a) Psychol. ration. §. 614.

(b) Ibidem §. 538.

debere (a); tuncque subrepere vitia contraria rationi, cum anima dilecto corpori suo indulgentius remittit (b).

PROPOSITIO IX.

Nulla mala concupiscentia esset in anima ex illius unione cum carne, si in rerum sensibilibus perceptionibus & appetitionibus producendis adeo esset ipsa mens a corpore independens, ut, quas perceptiones, atque appetitiones producit corpori copulata, easdem prorsus eodem modo produceret, non solum se juncta a corpore, verum etiam quamvis nullum sensibile corpus re ipsa existeret.

212. *Probat*ur. Nulla mala concupiscentia, quæ posset unioni mentis cum carne referri accepta, haberetur in anima, si nullum prorsus, cui illa copularetur, corpus existeret. Quod enim in rerum natura reapse non est, nullius realis effectus causa esse potest. Facta autem hypothese, ut, quas rerum sensibilibus perceptiones atque appetitiones producit anima copulata corpori, mundoque adspectabili existente, easdem eodem plane modo esset productura, licet neque corpus, cui juncta est, neque adspectabilis ipse mundus existeret, sequitur, perinde prorsus quoad perceptionum appetitionumque productionem se habere animam corpori unitam, ac se haberet a corpore separata, ipsoque mundo adspectabili nequaquam existente. Quod enim ad aliquem producendum effectum nihil penitus confert, perinde est omnino ad ipsius effectus productionem, & existentiam, sive illud existat, sive non existat. Ergo nulla mala concupiscentia esset in anima ex illius unione cum carne, si in rerum sensibilibus perceptionibus atque appetitionibus producendis nullatenus a corpore dependeret.

Confirmatur. Vel enim aliqua realis mutatio potest ex motibus carnis, cui rationalis anima copulata est, in ipsa anima contingere, vel nulla. Si nulla: ergo nulla quoque mala concupiscentia potest ex eo in animam derivari, quod infectæ carni juncta sit. Si aliqua: ergo non eodem modo, quoad sensibilibus rerum perceptiones atque appetitiones producendas, se habet anima unita carni, ac se haberet, si nulla, cui conjungeretur, caro existeret.

SCHO-

(a) S. Gregorius Papa lib. XXI. *Moralium* cap. 2.

(b) Paulinus Aquilejensis Patriarcha lib. de *salutaribus documentis*, S. Augustino olim adscripto, cap. 34.

C H O L I O N.

213. Huc itidem facit, quod diximus §. 180. Videlicet humanam mentem fabricatam a Deo non esse juxta *harmonistas* ad normam corporis; & ideo neminem eorum posse reponere, malam concupiscentiam, quæ dicitur animæ ex carne, repetendam esse ex mutationibus organorum sensoriorum corporis, non quidem existentibus re ipsa, sed tantum prævisis.

C O R O L L A R I U M I.

214. *Præstabilitæ harmoniæ admissio systemate, dandum necessario est, nullam malam concupiscentiam ex eo excitari in nobis posse, quod infecta carni mens nostra conjungatur.* Hoc enim admitti nequit systema, quin detur, humanam mentem in rerum sensibilibus perceptionibus atque appetitionibus producendis nullatenus a corpore, cui juncta est, dependere (§. 165.). Hinc

C O R O L L A R I U M II.

215. *Admitti non potest harmonistarum systema, quin divinarum Scripturarum oraculis, & SS. Patrum doctrina apertissime refragemur.* Ex unione quippe mentis nostræ cum infecta carne malam in nobis concupiscentiam oriri, aperta adeo tum divinæ Scripturæ, tum SS. Patrum sententia est, ut nullus, ne levissimus quidem, esse possit hac de re ambigendi locus. Docemur siquidem primo ipsiusmet Dei oraculo, corpus maximo nobis esse impedimento, ne in supernarum rerum contemplatione libere versemur, easque amore prosequamur. *Corpus, quod corrumpitur, inquit divina Sapientia, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem* (a): quod exponens S. Bernardus, ait: *nos in regione ista sumus, ubi plurimum est malitia, sapientia parum; quia corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem.* Per sensum hic arbitror intellectum designari, qui tunc vere deprimitur, cum multa cogitat, cum non colligit se circa illam unam meditationem, quæ concipitur de civitate illa, cujus participatio ejus in idipsum. Hujusmodi intellectum oportet deprimi, & distrahi per multa multis & multiplicibus modis. Animam vero hic aestimo dici affectiones, quæ, corrup-

(a) Sapientiæ cap. IX. v. 15.

rupto corpore, diversis passionibus afficiuntur, quæ mitigari nunquam possunt, ne dicam sanari, donec voluntas unum querat, & tendat ad unum. Duo ergo sunt, quæ in nobis purganda sunt, intellectus, ut noverit; affectus, ut velit (a), sive, quemadmodum monet S. Augustinus, nitendum est, ut carnis cupiditates spiritus vigore superentur, & interior homo, qui semper sibi sentit resisti, semper de divino auxilio expectat adjuvari (b). Secundo: concupiscit caro, inquit Apostolus, adversus spiritum, & spiritus adversus carnem (c). Concupiscere autem dicitur caro adversus spiritum, & spiritus adversus carnem, quatenus, ut ait Cassianus, caro luxuriis, ac libidine delectatur; spiritus ne ipsis quidem naturalibus desideriis acquiescit. Illa concupiscit satiari somno, repleti cibo; hic vigiliis & jejniis ita saginatur, ut ne ad ipsum quidem necessarium vitæ usum, somnum cibumque velit admittere. Illa cupit exuberari copiis universis; hic ne ipsius quidem exigui panis quotidianam substantiam habere contentus est. Lavacris illa nitescere, & quotidianis adulantium cuneis appetit constipari, hic squallore sordium, & inaccessibleis eremi vastitate congaudet. Honoribus illa, & laudibus confovetur; hic irrogatis sibi persecutionibus injuriisque letatur (d). Postremo, dixerat olim idem Apostolus: video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis (e). Hæc autem sibi invicem pugnantem leges in nobis esse ostendens S. Augustinus contra Julianum Pelagianum, hæc affert ex S. Cypriano: est inter carnem, & spiritum colluctatio, & discordantibus adversus se invicem, quotidiana congressio, ut, non quæ volumus, ipsa faciamus, dum spiritus cælestia, & divina quarit, caro terrena & secularia concupiscit. Et ideo petimus, inter duo ista, ope & auxilio Dei, concordiam fieri, ut dum & in spiritu, & in carne voluntas Dei geritur, quæ per eum renata est anima, servetur (f). Relinquitur ergo, nos ita nunc esse constitutos, ut, quemadmodum præclare advertit laudatus S. Doctor, & per carnem voluptate affici, & per spiritum honestate possimus (g). Ceterum hoc bellum, ut ejusdem S. Doctoris verbis utar, quod in nobis ipsis adversus nos ipsos gerendum suscepimus, experiuntur in se, neque negare possunt, libidinis acerrimi expugnatores, non impudentissimi laudatores (h).

Co-

(a) Serm. III. de Ascensione.

(b) Apud Auctorem Milleloquii v. caro: Brixia 1734.

(c) Ad Galatas cap. V. v. 17.

(d) Collat. IV. cap. 11.

(e) Ad Romanos cap. VII. v. 23.

(f) Lib. II. contra Julianum num. 6., alias cap. 3.

(g) Lib. de duabus animabus contra Manichæos num. 19., alias cap. 13.

(h) Lib. II. contra Julianum num. 5., alias cap. 3.

COROLLARIUM III.

216. *Harmonistarum si detur hypothesis, nulla prorsus ea concupiscentia est, quam peccato originali Theologi, acceptam referunt. Concupiscentia enim, quæ, S. Augustini sententia, peccatum est, simulque poena, atque causa peccati (a), ex carne in animam derivatur. Quod in membris corporis mortis hujus, inquit laudatus S. Doctor, inobedienter movetur, totumque animam in se dejectum conatur adtrahere, & neque, cum mens voluerit, exsurgit, neque, cum mens voluerit, conquiescit, hoc est malum peccati, in quo nascitur omnis homo (b). Data autem harmonistarum hypothesis, nulla est concupiscentia, quæ ex carne derivari in animam possit (§. 214.). Ergo, hac hypothesis admitta, nulla prorsus ea concupiscentia est, quam peccato originali Theologi ferunt acceptam.*

COROLLARIUM IV.

217. *Divisio animæ in partem superiorem, & inferiorem, quam communi calculo ex Scriptura, & Patribus tradunt Theologi, nulla est, si harmonistarum hypothesis admittatur. Pars hominis superior dicitur anima, quatenus avocatur se a sensibilibus, atque ad superna, Deo auxiliante, ascendit, & justitiam sectatur. Pars vero inferior dicitur eadem ipsa anima, quatenus, unita corpori, adeo a sensibilibus rebus afficitur, corporisque motibus commovetur, ut in illarum abripiatur amorem, atque a sectanda justitia retrahatur. Nullam itaque in nobis esse hanc inferiorem partem, harmonistarum admissio systemate, perspicuum arbitror. Ut enim nulla mala concupiscentia, illo systemate posito, ex carne in animam provenit, ita haud recte, causa unionis cum carne, potest duplex illa inferior, atque superior pars in anima distingui.*

S C H O L I O N.

218. Dixi, *harmonistarum admissio systemate, Theologicam divisionem animæ in partem superiorem, & inferiorem non habere locum. Puto namque, harmonistas ejus non esse sententiæ, ut velint, concupiscentiam, quæ in inferiori animæ parte vigere dicitur, oriri ex*
car-

(a) Lib. V. *contra Julianum* num. 8. alias cap. 3.

(b) Lib. I. *de peccatorum meritis, & remissione* n. 17., alias cap. 29.

carne *idealem* in anima *existentiam* habentē. Ita enim si opinetur *harmonicæ*, grave eis ne sit, si iterum dixerō, ipsorum *systema idealismo* manifeste favere.

C O R O L L A R I U M V.

219. *Præstabilitæ harmoniæ admissō systemate, concupiscentia, quæ dicitur animæ ex carne, fuisset in anima, quamvis carni minime esset conjuncta, quinimo eadem prorsus mala concupiscentia in illa manet etiam a corpore separata.* Hoc enim posito *systemate*, nulla mala concupiscentia derivari in animam potest ex illius unionem cum carne (§. 214.). Ergo, quæ modo est in anima copulata carni, eadem prorsus in illa haberetur, quamvis junctæ carni nequaquam fuisset, eademque in illa manet, etiam dum a corpore separata existit. Profecto, si quid accidit animæ ob illius unionem cum carne, jam ipsi animæ, quoad perceptiones rerum sensibilibus, earumque appetitiones, perinde non est, sive existat corpus, sive non existat.

A N I M A D V E R S I O I.

220. Nemo me accuset, si falli Cl. Volfium iterum dixerō, cum putat, nullum *systema explicandi commercium inter mentem atque corpus, Scripturæ Sacræ adversum esse posse, nisi eidem admisceantur errores, qui abesse & possunt, & debent* (a); ac propterea *veritatibus revelatis suum stare honorem, qualecunque tandem systema defendatur, modo eidem non admisceantur errores, qui ad idem non spectant, sed per leges bonæ methodi abesse debent; neque Philosophum turbare dogmata theologica, quamcunque tandem de commercio isto foveat opinionem. Theologo adeo non interesse, quodnam de commercio inter mentem, ac corpus systema defendat Philosophus; cumque non inutile sit, systemata quacunque excoli, & in foro philosophico de iisdem disputari, Theologum etiam Philosopho suam statuendi libertatem illasam relinquere posse* (b). Falli, iterum dico, Virum doctissimum, dum hæc tradit. Nisi enim ostenderit, vel stare posse *præstabilitæ harmoniæ systema*, licet mens ponatur in suis producendis perceptionibus atque appetitionibus, a corpore re ipsa dependere; vel hanc mentis a corpore independentiam neque officere interiori honestati, neque impedire, quominus mala

con-

(a) Psychol. ration. §. 545.

(b) Ibidem §. 546.

concupiscentia in anima, ex illius unione cum infecta carne, contingat, constans mihi erit opinio, I. *systema harmonia prestabilita adversari S. Scripturae, quamvis nullus error illi perperam admisceatur.* II. *veritatibus revelatis, admissio harmonistarum systemate, suum neutiquam stare honorem.* III. *Theologica dogmata ab eo, qui prestabilita harmonia tuetur hypothesim, non parum turbari.* IV. *Theologis catholicis interesse plurimum probe scire, quodnam Philosophi de causa commercii mentis cum corpore systema defendant; neque eos posse sine piaculo, suam hac super re statuendi licentiam illasam Philosophis relinquere.* Arbitror porro, nunquam fore, ut ostendat Vir Cl., *systema prestabilita harmonie habere locum, quamvis mens ponatur a corpore in rerum perceptionibus producendis, rebusque ipsis appetendis dependere.* Cum enim aperte docuerit, humanam mentem independentem adeo esse a corpore, juxta *prestabilita harmonia systema*, ut, quas rerum perceptiones, atque appetitiones producit corpori unita, easdem eodem modo produceret, etiam nullo, cui copularetur, corpore existente, aut errorem, qui abesse potest, huic systemati perperam ipse quoque admiscet, aut aperta contradictione sibimet ipsi, ut superiori loco ostensum est, adversatur.

ANIMADVERSIO II.

221. Nunquam dabimus Cl. Volfio, *difficultatem de concursu Dei ad malum non majorem esse in systemate harmonia prestabilita, quam in systemate influxus physici* (a). Non enim apparet, quomodo id verum esse possit, si humanum corpus sit ad eos etiam agendos motus, qui volitionibus animæ respondent, per suam structuram ut fateri vel invitus debet Vir ipse Cl., determinatum. Hoc siquidem posito, ingens inter *systema harmonia prestabilita*, & *systema influxus physici* discrimen profecto est. Etenim juxta *systema influxus physici* Deus ita ad inhonestos corporis motus concurrat, ut eorum tamen physica determinatio sit a voluntate; propterea nimirum quia, juxta *influxionistas*, corpus sit ad eos omnes vi suæ structuræ æque dispositum, ac passive prorsus indifferens. Contra vero, si Volfium ipsum audiamus, corpus juxta *systema harmonia prestabilita* tali artificio formatum a Deo est, ut vi sui tantummodo mechanismi, independentem ab omni determinatione, quæ animæ queat accepta referri, omnes suos motus, sive bonos, sive malos, ex æquo perficiat; unde juxta hoc *systema* Deus ita ad turpes etiam motus concurrat, ut omnes ab eo

fue-

(a) Psychol. ration. §. 636.

fuerint in ipso corpore physice determinati; ac proinde non tantum permissive, & actione generali, sed speciali quodam concursu in illos influit. Sane, nisi velit Vir doctissimus, eodem modo concurrere ad inordinatum alicujus machinæ motum, qui eam tali lege formavit, ut ad illum dumtaxat, vi sui mechanisimi, sit apta, & eum, qui machinam ipsam constituit tam ad ordinatos, quam ad inordinatos agendos motus per suam structuram ex æquo dispositam, indigentem propterea externo agente, a quo determinetur; non dubito, quin nobiscum fateatur, difficultatem de concursu Dei ad malum longe majorem esse in systemate *harmonia præstabilita*, quam in systemate *influxus physici*; quinimo in hoc ferme nihil; plurimum vero in illo, difficultatem hanc negotii facessere.

PROPOSITIO X.

Macerationes carnis rejiciendæ sunt, utpote ad eam subigendam spiritui prorsus inutiles, si passiones organorum sensoriorum corporis nihil adeo conferant animæ ad sensibilibus rerum perceptiones, & appetitiones producendas, ut quas illa producit corpori copulata, eadem ipse eodem ab ipsa modo producerentur, licet neque corpus, cui copulata est, neque adspectabilis ipse mundus existeret.

222. *Probatur.* Inutiles sunt, atque adeo rejiciendæ, macerationes carnis ad eam subigendam spiritui, si eadem iniqua desideria habitura sit mens, illis macerationibus positis, ac haberet, si caro tot cruciatibus minime affligeretur. Eadem autem iniqua desideria habitura est mens nostra, cruciata carne, quas habet, carne suo genio relicta, si tanta sit ipsius mentis quoad rerum perceptiones atque appetitiones independentia a corpore, ut passiones corporis nihil ei hoc in negotio conferant; sique ipsa mens productura esset easdem appetitiones, quas modo producit, quamvis neque corpus, cui copulata est, neque sensibilis ipse mundus existeret. Dependet enim mens a corpore, & quidem *realiter*, si qua mala affectio potest ex repressis motibus corporis in ipsa anima cohiberi, & prorsus extinguï, ut ex ipsis terminis videtur perspicuum. Ergo, hac admissa mentis a corpore independentia, omnes macerationes carnis rejiciendæ sunt, utpote ad eam spiritui subigendam prorsus inutiles.

COROLLARIUM I.

223. Admitti nequaquam potest *præstabilitæ harmoniæ systema*, quin *macerationes carnis*, tamquam ad eam spiritui subigendam plane inutiles, rejicere vel *inviti cogamur*. Corruit enim hoc systema, si *passiones corporis ad sensibilibus rerum perceptiones & appetitiones producendas aliquid vel minimum menti conferant*. Hinc

COROLLARIUM II.

224. Aut *harmonistarum systema rejiciendum est*, aut *videnda sunt omnia*, quæ de *pœnitentia tum ex Divina Scriptura, tum ex SS. Patribus catholica tradit Ecclesia*. In *maceratione quippe carnis posita pœnitentia est*, quam catholica Ecclesiæ Divinis edocta oraculis, atque a SS. Patribus instructa, nobis toties inculcat.

ANIMADVERSIO.

225. Tantam esse, auctore Volfio, *mentis a corpore in rerum perceptionibus atque appetitionibus producendis independentiam*, ut ad hæc omnes affectiones in illa excitandas, perinde omnino sit, juxta *harmonistarum systema*, sive existat corpus, sive non existat, non est, cur iterum dicam. Audiendus idcirco non videtur Cl. Auctor, cum ait, *nullum adeo errorem minori periculo subiacere, quam qui de commercio inter animam atque corpus committitur, ut adeo vana sint illorum molimina, qui tanta acerbitate contra istiusmodi systema pugnant, quasi totius generis humani salus ab uno eorum penderet* (a). Tantum enim abest, ut nullus error minori periculo subiaceat, quam qui in explicando *mentis cum corpore commercio committitur*, quin potius dignus ille jure ac merito sit, qui inter periculosissimos censeatur. Ex hæcenus siquidem traditis satis patet, magisque adhuc ex infra dicendis perspicuum fiet, quam grande errandi in fidei morumque doctrina ex uno falso *præstabilitæ harmoniæ* admisso systemate periculum nobis immineat. Porro etsi detur Viro Cl., humanam salutem a modo, quo *mentis cum corpore commercium exponatur, immediate non dependere*, negandum tamen non est, eam dependere ab illo posse *mediate*, quatenus nempe errandi in iis, quæ ad æternam hominis salutem pertinent, potest hinc facile occasio desumi. Modus certe,

(a) Psychol. ration. in not. ad §. 538.

certe, quo hoc commercium ab *harmonistis* exponitur, hujusmodi non est, ut, catholicæ fidei salva doctrina, sustineri a nobis merito possit. Non ergo vana, ut ille ait Vir Cl., sed necessaria, non reprehensione, sed laude digna, sunt illorum molimina, qui non dictariis, sed rationibus, non livore invidiæ, sed veritatis amore, tutandæque veræ religionis causa, in *harmoniam præstabilitam* inquirunt, ejus principia ad trutinam revocant, quæque ex illis inferri jure ac merito possunt, probe considerant. Sicuti porro vult Cl. Auctor, ut probe perpendantur, quæ in singulis hac de re propositionibus ipse inculcat, ne scilicet (illius sunt verba) *temerariis judiciis inanēs turba excitentur, non sine multorum injuria* (a), nobis quoque res in votis est, ut Theologi catholici æquo expendant animo, quæ hoc super systema tumultuario studio ipsi notavimus, ne scilicet minus cautis, parumque attentis, non sine gravi damno, *harmonistæ* imponant.

PROPOSITIO XI.

Si humana mens in suis perceptionibus producendis a nullo penitus externo principio re ipsa dependet, rerum notiones, quas successive habet ipsa mens, necessario adeo in illa excitantur, ut earum productio impediri nullatenus a nobis possit.

226. *Probatur.* Neque humana mens a nullo externo principio in rerum notionibus producendis re ipsa dependere, nisi illas omnes ita ipsa producat, ut per suam essentiam sit ad eas producendas determinata. Si namque per suam essentiam determinata non est ad unam potius, quam ad aliam notionem, atque notionum seriem producendam, determinari ab alio debet extra ipsam posito; ac proinde ab illo dependet, quemadmodum corpus, quia per suam naturam est ad unam potius, quam ad aliam spatii partem motu suo peragendam indeterminatum, extrinseco indiget principio, a quo sua vis motiva determinetur. Necessario autem, & quidem adeo, ut impediri nullatenus possit, eas omnes rerum notiones in se ipsa producit mens, quas modo producit, si ad eas producendas per suam essentiam ponatur determinata. Necessario quippe fit, quod per naturam fit; unde cor, quia per suam structuram, sive essentiam, est determinatum ad *systolem*, atque *diastolem* peragendam, necessario adeo hunc agit motum, ut fieri nequeat, quin, salva illius structura, hac ratione non moveatur. Ergo necessario eas rerum notiones producit mens, quas modo producit, si a nullo prorsus externo principio in illis producendis ipsa dependeat.

Di-

(a) *Psychol. ration. in not. ad §. 538.*

Dices, vim perceptivam mentis determinari a voluntate ad unam potius, quam ad aliam rei notionem, atque notionum seriem producendam.

Contra: quia vel nulla est notio, ad quam producendam vis mentis perceptiva *immediate* a voluntate non determinetur; vel sunt quædam, ad quas vis ipsa per suam naturam determinata est, quædam vero, ad quas a voluntate *immediate* determinatur. Si primum igitur poterit mens cæci nati notionem luminis atque coloris cujusque in se producere; cum hujusce notionis sola mentis volitio sit *ratio sufficiens*; positaque *ratione sufficienti*, necessario ponatur id, quod propter eam existit potius, quam non existit (P.I. §.133.). Hoc autem quam sit falsum, nemo non videt. Ergo falsum est, nullam esse notionem, ad quam producendam vis mentis perceptiva *immediate* a voluntate non determinetur. Sin vero alterum: scire optarem, quæ sit ratio, cur vis perceptiva, si quoad aliquas rerum notiones subjicitur determinationi voluntatis, eidem non subjiciatur quoad omnes; & vicissim, cur si ad aliquas per suam naturam determinata est, non sit ad omnes per suam itidem naturam determinata, quæque insuper sint rerum notiones, in quibus producendis mens subjiciatur determinationi voluntatis, & quæ illæ sint, ad quas vis ipsa perceptiva est per suam naturam determinata. Demum adhuc fiat, si non omnes, aliquas saltem rerum notiones ita necessario in mente excitari, ut illarum productio impediri a nobis nulla penitus ratione possit. Itaque a voluntate non determinatur mens, ut unam potius, quam aliam notionem rei producat. Quamobrem, si a nullo extrinseco determinativo in hoc negotio mens ipsa dependet, dicendum necessario videtur, eam ipsa sua natura esse ad certas producendas ideas determinatam; ac proinde notiones alias ab illis diversas, quinejus natura mutetur, ab ea produci minime posse.

S C H O L I O N I.

227. De immediata dumtaxat dependentia mentis a voluntate in rerum notionibus producendis res in præsens nobis est. Concedimus enim, voluntatem impedire posse, ne in nobis certa excitetur rei notio, simulque efficere, ut una potius, quam alia notio rei in nobis producat, quatenus nempe potest prohibere, ne illa mutatio in organis sensoris fiat, quam determinata notio in mente consequitur; & potest efficere, ut ipsa sensoria ab ea re, cujus notionem quarit, ratione debita efficiantur.

Phil. Ment. T. II.

R

Co-

COROLLARIUM I.

228. Quoniam per *harmonistas* humana mens in rerum notionibus producendis a nullo externo principio dependet (S. 162), nullum est *præstabilita harmonia systema*, nisi pro re certa habeatur, mentem ipsam adeo necessario eas omnes, quas producit, rerum notiones producere, ut impediatur, atque ad alias producendas determinari, nulla prorsus ratione a nobis possit. Quamobrem

COROLLARIUM II.

229. Humana mens, harmonistarum si detur hypothesis, omni suas in perceptiones libertate destituta est. Non enim liberum est nobis, quod nobis nolentibus accidit. Hinc

COROLLARIUM III.

230. Harmonistarum systemate posito, neque commendatione digni sunt, qui honestas ideas in seipsis excitare nituntur, neque digni reprehensione, qui turpes fovere, inhonestasque sibi in mentem revocare, delectantur. Nec enim illi honestis, neque turpibus isti carere cogitationibus libere possunt.

SCHOLIUM II.

231. Non videtur omittendum, minime posse fieri, ut humana mens sit per suam naturam ad eas, quas successive habet, rerum notiones determinata, quin aut mentes omnium hominum easdem rerum ideas habeant, eodemque modo atque ordine illa in omnibus consequantur; aut quin anima unius hominis essentialiter ab anima alterius differat; atque hinc, quot sunt homines, tot sint eorundem species. Determinata nequit esse mens ipsa sua natura, quin in quavis anima eadem sint rerum notiones, si eadem sit omnium essentia; quippe nulla est ratio, hac facta hypothesis, cur unius ideæ ab iis sint diversæ, quæ in altera excitantur. Differre vero essentialiter debent mentes, si non eadem idearum series in omnibus producat. Etenim, si idearum series eadem in omnibus non est, neque idem in omnibus erit principium, a quo series ipsa determinatur. Hoc autem principium est ipsa mentis percipientis essentia. Ergo humanæ mentis penes

pènes essentiam differunt; ac proinde tot sunt animarum species, quod individua numerantur. Igitur aut essentiale inter humanas mentes discrimen est, aut ab externo principio in rerum notionibus producendis mens quælibet determinatur, ab eoque idcirco in hoc negotio dependet. Hinc

COROLLARIUM IV.

232. Propugnari nequit *præstabilitæ harmoniæ* systema, nisi pro certa habeatur, *rationales animas natura sua esse diversas: totque idcirco esse hominis species, quot ejusdem individua numerantur.*

ANIMADVERSIO I.

233. Posita valida immutatione organi sensorii a re sensibili, ipse rei notionem necessario in mente excitari, non inficiatur Cl. Volvius. Inquit enim: *si objectum sensibile in organum sensorium rite constitutum agit, necessario sentimus, seu in anima potestate positum non est, utrum velit sentire, nec ne* (a). Igitur etiam per Volvium producuntur in anima notiones quædam, quæ impediri non possunt. *Præsentia autem idearum materialium in cerebro, adeoque & immutatio organi sensorii, ad rerum notiones producendas, ut ipse ait, nihil prorsus confert* (b). Ergo notio, quæ necessario excitatur in anima, posita immutatione organi necessario in eadem excitaretur, quamvis nulla in ipso organo fieret immutatio. Itaque vel notio, quæ necessario producitur, sine ulla plane ratione hoc modo producitur; & ideo errat Cl. Auctor, cum docet, nihil sine *sufficienti ratione* esse admittendum (c); aut fateri nobiscum debet, humanam mentem in perceptionum productione independentem ab omni externo principio esse non posse, quin ipsa natura ad certas rerum notiones producendas sit determinata. Equidem scio, sententia Viri doctissimi, *si mutatio in organo sensorio accidit, mentem necessario sentire; quia in mutatione, quam objectum sensibile organo inducit, continetur ratio sufficiens sensationum* (d). Verum ignoro, quomodo verum tunc esset queat, animam vi propria producere omnes perceptiones, & appetitiones independentem ab omni principio externo; atque hinc *præsentiam idearum materialium in cerebro ad eas producendas nihil prorsus conferre, adeo ut perceptiones, & appetitiones eodem*

R 2

quo

(a) Psychol. empir. §. 79.

(b) Psychol. ration. §. 614.

(c) Ontol. §. 70.

(d) Psychol. empir. §. 79.

quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret (a). Videtur quippe mens determinari ab organi immutatione ad unam potius, quam ad aliam rei notionem producendam, adeoque ab immutatione organorum sensoriorum corporis in rebus sensibilibus percipiendis ipsam dependere, si in organorum passione *sufficiens* illius notionis ratio comprehendatur.

ANIMADVERSI O II.

234. Triplici modo, Cl. Viri iudicio, a voluntatis arbitrio sensationes dependent. Primo: si ex decreto animæ ob sensationes prævisas situs corporis mutetur (b). Secundo: si ex decreto animæ situs corporis non mutetur, sensationum prævisarum gratia; nec alio quocunque modo impediatur, ne sensibile aliquod in organum sensorium agat (c). Postremo: si quid ex decreto animæ agatur eo fine, ut sensibile quoddam percipiatur, aut quid eo fine ab aliis fieri jubeatur (d). Dependent ergo sensationes a voluntate, quia a voluntate est, ut corpus eum situm obtineat, in quo ea in ipso mutatio a sensibilibus rebus peragitur, quam earundem rerum sensatio in mente consequitur. Igitur vel neque a voluntate dependet mens in rerum perceptionibus producendis; vel etiam a corporis mutationibus in illarum productione necessario dependet; unde errat Cl. Auctor, cum docet, humanam mentem non dependere ab ullo externo principio in producendis sensibilibus rerum notionibus; neque præsentiam idearum materialium in cerebro ad notiones ipsas producendas aliquid vel minimum conferre (e). Ergo certe hæc inter se mutuo conciliare non valeo, quemadmodum neque possum animo comprehendere, quomodo, rejecta omni reali dependentia mentis a passionibus corporis, salva sit altera eiusdem doctissimi Viri doctrina, videlicet quomodo tunc sit verum, nullam in anima sensationem contingere, si vel sensorium corporis organum a sensibili avertamus objecto (f), vel objecti actio in ipsum sensorium aliquo a nobis modo impediatur (g). Videtur quippe hinc apertissime sequi, sensationem a passiva organi sensorii immutatione, non secus atque effectus a sua causa, re ipsa dependere.

ANI-

(a) *Psychol. ration.* §. 614.

(b) *Ibidem* §. 151.

(c) *Ibidem* §. 152.

(d) *Ibidem* §. 153.

(e) *Ibidem* §. 614.

(f) *Psychol. empir.* §. 30.

(g) *Ibidem* §. 81.

ANIMADVERSI O III.

235. Aut nulla est ratio, qua ostendit Vir doctissimus, in unaquaque anima seriem perceptionum diversam esse a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius (a); aut falsum est, præsentiam idearum materialium in cerebro ad perceptiones, & appetitiones producendas nihil prorsus conferre (b). Ideo enim in unaquaque anima series perceptionum diversa est a serie perceptionum animæ cujuscunque alterius, quia in duobus hominibus sive eodem, sive diverso tempore natis, eadem contingere nequit mutationum corporearum series, quatenus nempe nequit fieri, ut corpora momentis singulis per omnem utriusque hominis vitam eundem prorsus habeant situm; neque possint diversa corpora easdem mutationes inducere eodem modo ad corpus organicum, quod ad animam spectat, relata (c). Diversa igitur est in unaquaque anima series perceptionum; quia non in cujusvis hominis corpore eadem mutationum series perficitur. Ergo determinatio mentis ad unam potius notionem, atque notionum seriem, quam ad aliam, producendam oritur a mutationibus, quæ contingunt, in corpore, adeoque ab ideis materialibus, quæ in cerebro excitantur. Dependet itaque mens ab ideis istiusmodi, si verum est Volfianum illud principium, unumquodque scilicet ab eo dependere, a quo determinatur (d). Quod si ab ideis materialibus, tamquam a suo reali determinativo, dependet mens, relinquatur profecto, ideas ipsas ad rerum notiones producendas aliquid menti conferre.

ANIMADVERSI O IV.

236. Docet laudatus Auctor, in systemate harmonia præstabilita animam hanc non posse uniri, nisi huic corpori per ipsam utriusque substantiæ essentiam, atque naturam animæ, quatenus nempe juxta hoc systema, anima vi sibi propria, producit omnes suas perceptiones & appetitiones continua serie; quæ singula eodem, quo nunc, modo consequerentur, etiamsi corpus non existeret, & quidem per essentiam & naturam ipsius; & in corpore vi mechanisimi, adeoque essentia corporis, ex ideis materialibus sensibilibus nascuntur motus volitionibus, & appetitionibus animæ respondentes citra ullam determinationem extrinsecam immediatam; qui eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi

Phil. Ment. T. II.

R 3

ani-

(a) Psychol. ration. §. 523.

(b) Ibidem §. 614.

(c) Ibidem §. 253.

(d) Ontol. §. §. 116. 851.

anima non exiſteret. Unde quoniam nullum corpus in univerſo alteri ſimile eſt, ſive corpora, qua inter ſe conferuntur, eodem tempore exiſtant, ſive diverſo, non datur in toto univerſo corpus quoddam aliud, præterquam hoc, in quo ſeries motuum per impreſſiones objectorum externorum in organa ſenſoria conſervari poteſt, ut ſinguli continuo conſentiant ſingulis perceptionibus, atque appetitionibus: & averſationibus anima eodem proxiſus ordine ſeſe invicem conſequentes, quo anima modificationes ſeſe invicem excipiunt (a). Igitur, etiam per Volſium præſtabilitæ harmoniæ ſyſtema neceſſario poſtulat, ut principii loco habeatur, rationales animas intrinſecus differre inter ſe, quemadmodum per ſuam ſtructuram differunt corpora, quibus copulantur. Etenim, ſi ſecus, non eſſet verum, hanc animam nonniſi huic corpori ea poſſe ratione conjungi, ut unius operationes motibus alterius harmonice conſentiant. Remanet ergo, in ſyſtemate harmoniæ præſtabilitæ tot diſtinguendas eſſe animarum rationalium ſpecies, quot hominum individua numerantur.

P R O P O S I T I O XII.

Si omnes motus humani corporis, ne iis quidem exceptis, qui volitionibus anima reſpondent, vi ſolius mechaniſmi ipſius corporis peragantur, omnes modo ſunt intrinſecus neceſſarii.

237. *Probatnr.* Si namque omnes motus humani corporis fiunt vi ſolius mechaniſmi, proveniunt omnes a principio naturali, ſive neceſſario. Intrinſecus autem neceſſarius eſt motus, qui ab iſtiusmodi principio oritur: Ergo, ſi omnes motus corporis humani fiunt vi ſolius mechaniſmi, ſunt omnes intrinſecus neceſſarii.

Confirmatur primo. Nequeunt motus omnes corporis humani fieri vi ſolius mechaniſmi, niſi per illius ſtructuram ſint adeo determinati, ut, ſalva ſtructure ipſius corporis, neque motus oppoſiti ſimul in ipſo corpore poſſibiles ſint, neque fieri queat, ut, qui determinati jam ſunt, non perficiantur. Sic non poteſt fieri, experientia teſte, ut ſalva *automatici* horologii ſtructure, illius index contrariis motibus moveri poſſit, eamque horam non deſignet, ad quem indicandam, vi interioris mechaniſmi, determinatur. Neceſſarii ſunt autem ii omnes corporis motus, qui per illius ſtructuram, ſive eſſentiam determinantur. Ergo omnes motus humani corporis intrinſecus neceſſarii ſunt, ſi omnes vi ſolius mechaniſmi perficiantur.

Confirmatur ſecundo. Etenim, ſi omnes humani corporis motus fiunt vi ſolius mechaniſmi, ſunt omnes eodem penitus modo, iſdemque legi-

(a) *Psychoſ. ration. §. 719.*

legibus, quibus motus cordis, & intestinorum, atque id genus alii, in ipso corpore peraguntur. Hos siquidem fieri vi solius mechanisimi, omnibus notum est. Motus autem cordis, & intestinorum sunt hanc ob causam intrinsecus necessarii. Ergo hujuscemodi sunt etiam motus, qui volitionibus animæ respondent, si vi solius mechanisimi & ipsi fiant.

COROLLARIUM I.

238. Quoniam in systemate harmoniæ præstabilitæ omnes motus corporis humani ita fiunt vi solius mechanisimi ipsius corporis, ut perinde ad eos sit, sive in corpore existat anima, sive non existat (§. 163.), omnes motus humani corporis, ne iis quidem exceptis, qui volitionibus animæ respondent, sunt, juxta hoc systema, intrinsecus necessarii. Hinc

COROLLARIUM II.

239. Hoc admisso systemate, nullus eorum motuum, qui ad nutum animæ fieri videntur, impediri modo a nobis potest. Anima quippe nostra impedire nequit, ne aliquis eorum motuum in nobis contingat, ad quos corpus per suam structuram determinatum est, quemadmodum hanc eandem ob causam prohibere non potest anima, ne cor moveatur.

S C H O L I O N.

240. Harmonistarum neminem esse arbitror, qui velit, aliquem eorum motuum, ad quos corpus per suam structuram jam determinatum est, posse modo a nobis impediri. Cum enim humana mens, juxta præstabilitæ harmoniæ systema, vim non habeat agendi in corpus, fieri certe nequit, ut mens ipsa vel prohibeat modo, ne corpus moveatur, si ratione sui mechanisimi moveri cogitur; vel efficiat, ut motum aliquem agat ab eo diversum, quem illius structura requirit.

COROLLARIUM III.

241. Admitti minime posse videtur præstabilitæ harmoniæ systema, quin dicatur, non inesse homini in motus sui corporis libertatem. Cum enim, hoc posito systemate, omnes motus humani corporis, etiam qui volitionibus animæ respondent, sint physice necessarii, & qui-

dem adeo, ut nullus eorum impediri a nobis possit, non video, quæ in motus nostri corporis, hac admissa hypothefi, nobis inest libertas. Nulla igitur hæc est, nisi forte idem numero motus possit esse *physice necessarius*, & simul *liber* eo libertatis genere, quod Theologi atque Philosophi a *necessitate*, sive *indifferentiæ*, appellant.

S C H O L I O N.

242. Ad humanarum actionum libertatem opus necessario esse; ut homo ad nullam earum sit per suam essentiam determinatus, nemo erit, ut arbitror, qui id vocare in dubium possit. *Non enim est nobis liberum*, inquit S. Augustinus, *quod in potestate non habemus* (a); idque in nostra non est potestate, ad quod jam determinati per naturam sumus; unde, teste eodem S. Doctore, *non voluntate senescimus, sed necessitate*, neque *voluntate morimur, sed necessitate* (b); propterea nimirum quia, cum jam simus tum ad senescendum, tum ad moriendum per naturam determinati, neutrum in nostra potestate est, ita ut ab illius nutu dependeat. *Præstabilita* autem *harmonia* admissa hypothefi, hominem esse ad omnes corporeos, quos agit motus, per suam naturam determinatum, res est perspicua. Nec enim, si secus, ut diximus, omnes nostri corporis motus vi solius mechanisimi perficerentur. Ergo, *præstabilita harmonia* si detur hypothefis, nulla in motus corporis nobis inest libertas.

Opponunt *harmonista*, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, esse quidem necessarios, quatenus per ipsius corporis structuram determinati sunt; at simul liberos censerit eos jure ac merito posse, propterea quia determinati in corpore per illius structuram a Deo non fuerint, nisi quatenus, vi præscientiæ suæ, certissime novit, mentem, quæ illi copularetur, eos, & non alios, esse libere volituras.

Sed contra est; etenim, licet motus, ad quos Petri corpus per suam structuram determinatum modo est, sint ii ipsi, quos præscivit Deus, illius animam esse libere volituras, eoque propterea, & non alios, mens ipsa modo velit, hoc non tollit, quominus verum sit, eos modo non ita esse in animæ potestate, ut, si ipsos noller, non essent sequuturi. Fieri quippe nequit, ut ii omnes motus a Petri corpore non peragantur, ad quos agendos jam per suam structuram determinatum est; neque ipsius anima potest mechanismum ip-

(a) Lib. III. *de libero arbitrio* num. 8.,
alias cap. 3.

(b) Ibidem num. 7. alias cap. 3.

sum mutare, eique ita resistere, ut unum aliquem ex iis motibus, qui vi illius mechanismi sunt, valeat impedire. Libertas autem arbitrii in motus sui corporis non inest Petro, si nullus eorum in Petri potestate modo habeatur. Ergo, licet corpus non sit physice determinatum nisi ad eos motus, quos mens, illi juncta, modo volitura est, id non tollit, quominus nulla in motibus sui corporis Petro insit libertas.

Et sane vel homo re ipsa existens, prout est unum aliquid constans ex anima, & corpore, est ad oppositos motus *realiter* indifferens, atque ad eos omnes intrinsece aptus, vel non. Si non, idque divinæ præscientiæ causa: ergo divina præscientia ita lædit libertatem hominis in motus sui corporis, ut eam prorsus evertat. Illius quippe causa nobis sublata arbitrii libertas est, cujus causa nobis non inest amplius intrinseca ad agendum, atque ad non agendum aptitudo, & indifferentia. Si autem homo est ad motus omnes intrinsece indifferens: ergo illius corpus non est, ratione sui mechanismi, ad certam agendam motuum seriem determinatum.

Perpicuum porro id magis fiet, si consideremus, humanam libertatem ideo a divina præscientia non lædi, quia rerum natura, illius causa, haudquaquam mutatur; sed intrinsecus indifferens ad agendum, & non agendum ita manet agens posita divina præscientia, ac ipsum esset, si divina præscientia minime haberetur. Luculentissimo Boetii testimonio assumptum patet. Ostendens enim Vir celeberrimus, quomodo in tuto sit humana libertas, licet quod eventurum Deus videt, id non evenire non possit, *idem futurum*, inquit, *cum*, ad divinam notionem refertur, *necessarium*; cum vero in sua natura perpenditur, *liberum prorsus atque absolutum videri*. *Dua sunt enim necessitates, simplex una, veluti quod necesse est, omnes homines esse mortales; altera conditionis, ut si aliquem ambulare scias, eum ambulare necesse est. Quod enim quisque novit, id esse aliter, ac notum est, nequit. Sed hæc conditio minime secum illam simplicem trahit. Hanc enim necessitatem non propria facit natura, sed conditionis adjectio. Nulla enim necessitas cogit incedere voluntarie gradientem, quamvis eum tamen, cum graditur, incedere necessarium sit. Eodem igitur modo, si quid providentia præsens videt, id esse, necesse est, tametsi nullam habeat natura necessitatem. Atqui Deus ea futura, quæ ex arbitrii libertate proveniunt, præsentia contuetur. Hæc igitur ad intuitum relata divinum, necessaria sunt per conditionem divinæ notionis; per se vero considerata, ab absoluta natura sua libertate non desinunt. Fiunt igitur proculdubio cuncta, quæ futura Deus esse præ-*

noscit, sed eorum quaedam de libero proficiuntur arbitrio; quæ quavis eveniant existenda, tamen propriam naturam non amittunt; quia prius quam fierent, etiam non evenire potuissent. Quid igitur refert, non esse necessaria, cum propter divinæ scientiæ conditionem modis omnibus, necessitatis instar, eveniant? Hoc scilicet, quod ea, quæ paulo ante proposui, Sol oriens, & gradiens homo, quæ dum fiunt, non fieri non possunt; eorum tamen unum prius quoque quam fieret, necesse erat existere, alterum vero minime. Ita etiam, quæ præsentia Deus habet, procul dubia existunt; sed eorum hoc quidem de rerum necessitate descendit, illud vera de potestate facientium. Haud igitur injuria diximus, hæc, si ad divinam notitiam referantur, necessaria; si per se considerentur, necessitatis esse nexibus absoluta (a). Vides ergo, divinam præscientiam ideo non officere humanæ libertati, quia licet humanæ actiones, si ad intuitum referantur divinum, sint necessariae, contingentes tamen sunt, si cum suo principio conferantur: videlicet sunt hujusmodi, ut, habita ratione causæ, esse ex æquo possint, & non esse; propterea quod nempe causa ipsa adhuc manet *intrinsecus* ad utramque contradictionis partem penitus indeterminata; unde necessitas, quæ in humanas actiones ex divina præscientia derivatur, est *consequens*, non *antecedens*, nimirum istiusmodi illa est, ut tota ex eo proveniat, quod actio cum ipsius negatione componi minime possit; non autem ex eo, quod homini *intrinseca* desit potentia tum ad non ponendum illum actum, tum ad ponendum actum contrarium. Contra vero res se habet, posita superiori *harmonistarum* responsione. Juxta illam quippe exteriores hominis actiones adeo necessario, divinæ præscientiæ causa, futuræ sunt, ut potentia tum ad eas non ponendas, tum ad ponendas contrarias, homo careat. Deest, inquam, homini ratione divinæ præscientiæ, *intrinseca* potentia, tum qua non ponere actiones ipsas possit, tum qua possit contrarias. Cumenim omnes corporis motus, quos Deus prævidit animam, quæ illi jungeretur, esse volituram, ponantur modo ab *harmonistis* per corporis structuram determinati, ea indifferencia modo non habetur in corpore, qua opus necessario est, ut motus illi, antequam fiant, esse possint ex æquo, & non esse: ac proinde ut verum sit, hominem re ipsa existentem ita agere motus, quos agit, ut, antequam eos perageret, ipsos non ponere, imo & ponere contrarios, æque potuerit. Quæ etenim potentia ad utramque tam *contrarietatis*, quam *contradictionis* partem potest esse in eo, quod per suam naturam determinatum ad unam modo est.

Igi-

(a) Lib. V. de consolatione, profa 6.

Igitur necessitas externarum hominis actionum, causa divinæ præscientiæ, non consequens est, si *harmonistas* audiamus, sed antecedens.

Fateor, nunquam fore, immo nec posse fieri, ut homo velit motus ab iis diversos, ad quos per mechanismum sui corporis determinatus, ut ajunt *harmonista*, modo est; propterea nimirum quia fieri nequeat, ut ipse velit, secus atque Deus voliturum ipsum esse præcivit. Hoc, inquam, fateor, & do libentissime. At unum quæro ab *harmonistis*, nimirum an reipsa possit homo non agere illos motus, licet, ut eos non agat, nunquam sit futurum. Si enim potest reipsa eos non agere: ergo, contra ac ipsi velint, illius corpus non est per suam structuram ad eos agendos determinatum, nisi forte ipsis placeat, cum physica inimpedibili determinatione ad unum stare potentiam ad oppositum: quod profecto, ut intelligatur, *Delio quopiam natatore* indiget. Si autem non potest; ergo motus ipsi adeo necessario futuri sunt, antequam fiant, ut, defectu intrinsecæ potentiæ, illorum omisso non sit possibilis; unde in illos ea non inest homini, quam vocant *a necessitate*, libertas. Nulla enim hæc est, nisi cum futuritione actionis, quantumvis infallibili, stet potentia ad oppositum.

Demum considero hominem in signo priori ad divinam præscientiam, & quæro ab *harmonistis*, an homo in tali signo sit ad quemlibet motum, ejusque omissionem intrinsecus indifferens, num vero sit per suam naturam ad unam contradictionis partem determinatus. Si primum: ergo talis quoque est homo, posita divina præscientia; cum hæc, ut diximus ex Boetio, & docent Theologi, *naturam rerum, proprietatemque* non mutet (a). Sint alterum: ergo intrinseca determinatio corporis ad certam peragendam motuum seriem ex divina præscientia ab *harmonistis* falso desumitur.

Dicent forte, spectari non posse hominem in signo priori ad divinam præscientiam, propterea quia mechanismus corporis, cui jungenda est anima, ut habeatur homo, a præscientia volitionum ipsius animæ necessario dependeat.

At contra: etenim vel repugnat corpus humanum ad nullam certam peragendam motuum seriem, vi sui mechanismi, determinatum, vel non repugnat. Si non repugnat: ergo in signo priori ad divinam præscientiam spectari homo potest. Si autem repugnat: ergo repugnat homo ad motus omnes natura sua indifferens; & ideo nequit esse quoad exteriores suas actiones intrinsecus liber.

Præterea aut volitiones motuum, quas Deus prævidit futuras in
ani-

(a) Lib. V. de *consol.* prosa 6.

anima, modo sunt in illa physice determinatæ, vel non. Si sunt determinatæ: ergo non sunt amplius liberæ. Si non sunt determinatæ: ergo neque per corporis structuram determinati debent esse motus, qui volitionibus illis respondent. Etenim, sicuti physica determinatio volitionum futurarum in anima efficit, ut illæ non sint liberæ; ita physica determinatio motuum in corpore impedit, quominus liberi motus ipsi merito optimoque jure dicantur. Alio ergo, quam ad divinam præscientiam, se vertere debent *harmonistæ*, ut humanam libertatem quoad exteriores actiones in tuto constituent.

COROLLARIUM IV.

243. *Præstabilita harmonia systema, quoad exteriores hominis actiones, favet fatalismo.* Sunt enim *fatalistæ*, qui omnia, quæ in mundo contingunt, ne ipsis quidem exceptis humanis actionibus, inimpedibili necessitati subjiciunt.

COROLLARIUM V.

244. *Harmonistarum admissa hypothese, frustra cum Apostolo; clamat Ecclesia: mortificate membra vestra, quæ sunt super terram; fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam (a).* Nullus quippe eorum motuum, ad quos corpus nostrum per suam structuram jam determinatum est, impediri a nobis potest; cumque in cujusvis hominis corpore sit jam certa motuum series per illius structuram determinata, honestam suadenti vitam respondere potest iniquus, jactam modo esse aleam: pessimos mores suos inimpedibili sui corporis mechanismo referendos esse acceptos, culpandamque ejusdem nunc esse structuram, si motus, quos modo agit, humanis divinisque legibus adversentur: se quidem velle operationes illas malas, quas nunc suum corpus exequitur, sed jam certo scire, eas omnes, etiamsi nollet, esse futuras, ab *harmonistis* scilicet edoctum, tale esse cujusvis hominis corpus, ut, nisi illius mutetur structura, motus ab iis, quos agit, diversi in ipso non sint possibiles. Hæc ille: cui sane quid *harmonista* reponere jure ac merito queat, ignoro. Non enim, mea sententia, satis ei occurritur, si dicatur: *bene agere potes, si velis*; quandoquidem, etiamsi, vellet, & quidem efficacissime, minime posset sui corporis structuram mu-

(a) Ad Coloss. cap. III. v. 5.

mutare, atque hinc efficere, ut ii omnes in illo non sequantur motus, ad quos jam est vi sui mechanisimi determinatum.

COROLLARIUM VI.

245. *Præstabilita demum harmonia admissa hypothese, nullus motus corporis ita imputari homini potest, ut, illius causa, dignus ipse sit; qui vel commendetur, vel reprehendatur. Cum enim juxta præstabilita harmonia systema, omnes motus humani corporis tantæ modo necessitati sint obnoxii, ut nullus eorum libere impediri a nobis possit (§. 241.), nullus certe est vel laude, vel poena dignus. Unde Tullius, si causa, inquit, appetitus non est sita in nobis, ne ipse quidem appetitus est in nostra potestate. Quod si ita est, ne illa quidem, quæ appetitu afficiuntur, sunt sita in nobis. Non sunt igitur neque assensiones, neque actiones in nostra potestate; ex quo efficitur, ut nec laudationes justæ sint, nec vituperationes, nec honores, nec supplicia (a). Neque juvat, voluntatem modo velle ipsos motus. Etenim non quælibet libertas sufficit, ut actio præmium mereatur, vel poenam, sed requiritur libertas a necessitate. Profecto, si merito actionis non officeret intrinseca illius necessitas, sed id unum satis esset, ut actio ipsa, quamvis intrinsecus necessaria, a nobis sit volita, haud recte contra heterodoxos dicerent catholici, eam ob causam non sufficere ad meritum libertatem a coactione, quia tunc meritoria posset esse actio, licet intrinsecus necessaria, sive licet homo esset per suam naturam ad actionem ipsam perficiendam intrinsecus determinatus.*

ANIMADVERSIO I.

246. De liberis hominis actionibus differens Cl. Volfius, motus, inquit, corporis, quos anima vult, & qui ad nutum ejus in corpore consequuntur, ita comparati sunt, ut corpus ad eos, atque ad oppositos iisdem æque dispositum deprehendatur. Ita per structuram corporis æque possibile est, ut jam sedeam, quam ut stem, vel ambulem; ut os aperiam, vel claudam; ut brachium extendam, vel ut immotum idem detineam (b). Ad nullum igitur eorum motuum, qui ad nutum animæ fieri dicuntur, corpus per suam structuram determinatum est; sed ita eos omnes agit, ut, motus oppositi, salva ipsius corporis structura, sint in illo, etiam per Volfium, ex æquo possibili. Sibi ergo

non

(a) Lib. de Fato cap. 17.

(b) Psychol. empir. §. 925.

non consentit Vir Cl., cum, *prestabilitæ harmoniæ* tutandæ causâ, docet, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita fieri vi solius mechanisimi ipsius corporis, independenter ab omni determinatione extrinseca, quæ animæ imperio subjiciatur, ut motus ipsi eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur etiamsi anima non existeret (a). Fieri quippe minime posse videtur, ut omnes istiusmodi motus vi solius mechanisimi, independenter omnino ab anima, peragantur, nisi corpus per suum mechanisimum, sive structuram, ita sit ad eos determinatum, ut ad oppositos, ratione structuræ suæ, ex æquo dispositum non existat.

ANIMADVERSI O II.

247. Humani corporis mechanisimus, ipso Auctore Volfio, talis est atque tantus, ut *Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima.* Unde concludit Vir Cl., *mechanismo corporis perfici posse, quæ rationis opus sunt, & facultatibus animæ immaterialibus originem debent* (b). Sicuti ergo dandum eidem puto, *quamdiu mechanisimus tantus, quantum systema harmoniæ prestabilitæ postulat, impossibilis non demonstratur, pro possibili ob infinitam Dei scientiam, sapientiam, & potentiam a nobis esse habendum* (c); ita non dubito, quin fateri, & ipse Cl. Auctor nobiscum debeat, omnes prorsus motus, etiam qui volitionibus animæ respondent, non aliter in ipso corpore fieri, ac urinæ secretio in renibus, cordisque systoles, atque diastoles, ceterique hujusmodi motus in eodem peragantur. Vi quippe mechanisimi, sine ulla reali dependentia ab anima, & hi omnes fiunt. Secretio autem urinæ in renibus, cordisque systoles atque diastoles ita fiunt vi solius mechanisimi, ut per cordis, renumque structuram sint omnes, ut ipsemet ait Volfius, *physice determinati* (d). Ergo, si vi solius mechanisimi, sine ulla reali dependentia ab anima, ii quoque motus perficiuntur, qui animæ volitionibus respondent, dubium esse nequit, quin & ipsi sint per corporis structuram physice determinati; ac proinde quin falsum sit, *corpus esse ad eos, atque ad oppositos iisdem, ut loquitur Cl. Auctor, æque dispositum* (e).

ANI-

(a) Psychol. ration. § 616.

(b) Ibidem §. 637.

(c) Ibidem in not.

(d) Philos. pract. P. I. in not. ad §. 12.

(e) Psychol. empir. §. 935.

ANIMADVERSI O III.

248. Volitiones, & nolitiones per animæ essentiam non determinari, ex eo demonstrat Vir Cl., quod *volitiones omnes, ac nolitiones, contingentes sint in se, adeoque mutabiles, & consequenter hujusmodi, ut, salva animæ essentia, eidem non inesse possint* (a). Ipso autem teste, non tantum volitiones, & nolitiones animæ, sed *ipsi etiam motus corporis, a voluntate pendentes, contingentes sunt in se* (b). Ergo & hi quoque motus non sunt per corporis essentiam determinari. Essentia autem humani corporis, ut ipse docet Cl. Auctor, ab illius structura, sive mechanismo diversa non est (c). Ergo motus, volitionibus animæ respondentes, non sunt per corporis structuram determinati. Videtur autem, eos ita non posse fieri vi solum mechanismi, sine ulla reali dependentia ab anima, ut eodem, *quo nunc modo adhuc in corpore consequerentur, etiamsi anima non existeret* (d), nisi omnes sint per ipsius corporis structuram, sive essentiam, determinati. Ergo aut per corporis structuram determinati jam omnes sunt, aut vi solius mechanismi non peraguntur,

ANIMADVERSI O IV.

249. Permisso, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, non esse per ipsius corporis essentiam determinatos, quæro a Viro doctissimo, quodnam illud sit, a quo corpus ad unum potius, quam ad alium agendum motum modo physice determinetur. Nec enim dubito, quin, admissa intrinseca corporis indifferentia, fateatur & ipse Volfius, nullum motum, nisi determinetur, agi ab ipso corpore posse. Nimis quippe solemne tanto Viro est, nihil sine *sufficienti ratione* a nobis esse admittendum (e). Itaque aut corpus *immediate* determinatur ab anima, aut ab aliquo *realiter* ab ea distincto. Si *immediate* determinatur ab anima: ergo motus, qui ad nutum animæ fiunt, ab illa dependent. Unumquodque enim, ipso Volfio teste, ab eo dependet, a quo determinatur (f). Falsum est igitur, *motus corporis volitionibus animæ respondentes fieri sine ulla reali dependentia ab anima, & quidem adeo ut eodem, quo nunc, modo adhuc consequerentur, etiamsi anima non existeret* (g). Non enim video, quomodo,

non

(a) Psychol. empir. §. 240.

(b) Ibidem §. 235.

(c) Cosmol. §. 276.

(d) Psychol. ration. §. 616.

(e) Ontol. §. 70.

(f) Ibidem §. §. 116. 851.

(g) Psychol. ration. §. 616.

existente anima, determinari ipsum corpus ab anima posset. Mihi quoque in votis est, probe scire, quomodo in *systemate harmonie preestabilitæ*, omnique propterea reali influxu animæ in corpus plane rejecto, queat corpus ab anima determinari. Si autem hoc determinativum corporis sit ab anima distinctum, quæro a Volfio, an illud ab anima dependeat, num vero ab ea sit penitus independens. Si dicat, justiusmodi determinativum ab anima dependere, sibi contradicit, cum alibi doceat, *motus volitionibus animæ respondentes fieri citra ullam determinationem extrinsecam ab anima pendentem* (a). Si autem dicat, hoc extrinsecum, a quo corpus determinatur, esse ab anima independens; igitur omnino independentes ab anima ii quoque omnes sunt motus, qui, posita illa determinatione, in corpore consequuntur; sibi que propterea adversatur Vir Cl., cum ait, *motus corporis, qui pendent a voluntate animæ, voluntarios nuncupari* (b). Arbitror enim, voluntarios esse motus, qui volitionibus animæ respondent; ac proinde, si voluntarii sunt, qui ab animæ voluntate dependent, ab eadem quoque dependere debere, qui illius volitionibus consentiunt, sive qui ad animæ nutum fieri in corpore dicuntur,

ANIMADVERSIO V.

250. Cum dicat Cl. Volfius, motus corporis volitionibus animæ respondentes, fieri *vi mechanisimi corporis ex motibus ab impressionibus in organa sensoria factis* (c), erit fortasse, qui velit, corpus ipsum, per suam structuram ad omnes agendos motus æque dispositum, determinari ad unum ab impressionibus, quæ ab externis rebus in organis sensoriis fiunt; adeoque motus volitionibus animæ respondentes, fieri posse, ut ait Cl. Auctor, *vi folius mechanisimi*, quin ipsum corpus sit ad eos per suam structuram, ut antea diximus, determinatum. Verum, prætermisso adhuc stare pugnantia tradi a Volfio, cum ait, motus voluntarios ab animæ voluntate dependere, & simul eos fieri *citra ullam dependentiam realem corporis ab anima* (d), demonstrandum est, quomodo fiat, ut corpora duorum hominum sese mutuo colloquentium, in eodemque loco existentium, tam diversas ab externis iisdem rebus impressiones recipiant, ut ad agendos motus plane diversos simul ambo determinentur. Hanc certe difficultatem & ipse agnovit Vir doctissimus; unde licet dixerit, motus corporis volitionibus animæ respondentes fieri *vi mechanisimi ex motibus ab externis*

(a) Psychol. ration. §. 618.

(b) Psychol. empir. §. 936.

(c) Psychol. ration. §. 616.

(d) Ib. dem. §. 618.

ternis rebus in organis sensoriis factis, docet tamen ab hisce non determinari corpus, ut unum potius, quam alterum motum perficiat, sed tantum, ut eam agat, ad quem vi sui mechanismi jam determinatum est. Explicans enim, atque ostendens, *in systemate harmonia præstabilita mechanismum corporis esse nobis incomprehensibilem*, hæc habet: motuum liberorum ingens per omnem vitam est numerus, & voluntates diversarum animarum adeo in diversa abeunt, ut, quod unus appetit homo, idem aversetur alter, & quod unus aversetur, idem appetat alter. In systemate harmonia præstabilita motus isti producuntur per impressiones ab objectis sensibilibus in organa sensoria factas; atque adeo cum idem objectum in idem organum sensorium duorum hominum eodem modo agat, eadem impressione (nota bene) diversi motus in diversis subjectis producuntur, imo in quibusdam nullus eadem impressione producit motus voluntarius. Nexus vero rerum materialium talis esse debet, ut tot per vitam hominis motus, & diversi quidem in diversis subjectis ab eadem causa produci debeant. Nemo itaque hominum vel in uno corpore explicare distincte potest, quomodo motus isti producantur, etiamsi exemplo sit homo vita brevis. Cogitandum præterea est, quoniam homo cognitionis universalis capax, & ratiocinando ad discursiva judicia pervenit, præterea operationibus intellectus rite usus, beneficio rationis, veritates incognitas detegere, & quæ animo complexus est, aliis explicare valet; in systemate harmonia præstabilita corpus humanum hæc omnia loquela oris proferret, etiamsi nulla existeret anima, v. g. Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima. Mechanismo igitur corporis perfici possent, quæ rationis opus sunt, & facultatibus animæ immaterialibus originem debent (a). Motus igitur corporis, etiam qui volitionibus animæ respondent, ita fiunt vi solius mechanismi, ut, licet re ipsa producantur per impressiones ab objectis sensibilibus in organa sensoria factas, ab hisce tamen, Volfii quoque iudicio, non determinetur corpus, sed per suam structuram sit jam ad eos physice determinatum.

ANIMADVERSI O IV.

251. Ad libertatem actionum non animæ solum, verum etiam corporis necessario requiri, ut actiones ipsæ contingentes sint in se, hoc est huiusmodi, ut per animæ corporisque naturam non sint physice determinatæ, Cl. Volfii aperta itidem sententia est. Docet enim

Phil. Ment. T. II.

S

pri-

(a) *Psychol. ratioc. §. 637.*

primo, motus corporis, qui a voluntate dependent, contingentes esse in se (a), & ideo esse liberos. *Actiones humanas*, inquit, *ad quas pertinent motus corporis a voluntate mentis pendentes, esse contingentes, jam monuimus* (not. §. 294. Ontol.). *Ceterum hanc actionum contingentiam ad libertatem requirit Aristoteles, ac quod id recte fiat, vi propositionis presentis patet* (b). Docet secundo animam esse liberam, quatenus ad nullum eorum, quæ possibilis sunt, ab eaque eligi possunt, per essentiam est determinata (c); & ne quis putet, de internis tantum actionibus, ipsum velle, ut hoc loco intelligatur, addit: *ad libertatem adeo requirimus volitionum, & actionum, quas volumus, contingentiam* (d). Tertio: postquam dixit, *infantes rationis usu destitui, quia non habent, nisi quod ipsis connascitur* (e), ait hinc rationem reddi, *cur infantes videantur fatibus brutorum stupidiores. Brutis enim paucissima sunt actiones, ad victum querendum, se tuendum, & generandum necessariae, ad quas per mechanismum corporis determinantur, nec universali opus habent cognitione. At hominis actiones multifariae sunt, quarum determinatio in utramlibet contradictionis partem in ipsius potestate est, quas vero secundum rationem determinare debet. Unde homo herere debet circa determinationem istarum actionum, quamdiu nullas sibi acquisivit notiones universales, vi quarum eadem determinantur* (f). Demum *actiones, inquit, tam animæ, quam corporis dicuntur naturales, vel necessariae, quæ per essentiam, & naturam animæ, & corporis determinantur. Liberae autem appellantur, quæ per essentiam, & naturam animæ, ac corporis non determinantur, sed a libertate animæ pendunt* (g). Nisi ergo Vir Cl. sibi metipso adversari manifeste velit, fateatur necesse est, nullam esse in homine actionem corporis liberam, si nullus in illo fiat motus, qui jam non sit per sui corporis structuram determinatus. Nullus est autem in nobis motus corporis, qui per illius structuram non sit determinatus, si omnes, etiam qui volitionibus animæ respondent, vi solius mechanismi, sine ulla prorsus reali dependentia ab anima, ut patet, peragantur. Ergo, si ii etiam motus, qui volitionibus animæ consentiunt, fiunt vi solius mechanismi, nullus in nobis est motus corporis, qui, etiam juxta Volfii principia, liber vere sit, & jure dici possit. Itaque nisi evincat Vir Cl., motus omnes corporis fieri vi solius mechanismi, quin per corporis structuram jam sint determinati, alterutrum ab eo dandum nobis est, aut scilicet nullum in homine esse motum corporis

libe-

(a) *Psychol. empir.* §. 935.(b) *Ibidem in not.*(c) *Ibidem* §. 941.(d) *Ibidem in not.* ad §. 941.(g) *Psychol. ration.* §. 459.(e) *Ibidem in not.* ad §. 459.(f) *Philos. pract.* P. I. §. 12.

liberum: & ideo omnibus fecisse fucum, cum de mentis, corporisque actionibus differens, eas in *naturales*, atque *liberas* partitus est (a), aut, secus ac ipsemet adeo aperte docet, intrinsecam corporis indifferenciam ad motuum libertatem haudquaquam requiri.

ANIMADVERSI O VII.

252. *Neccssitas motuum, qui appetitionibus anima in corpore respondent, non tollit libertatem in anima, hoc est, minime obstat, ut ipse ait Cl. Auctor, quominus volitiones in anima sint liberae* (b). Certa igitur etiam Volvio res est, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, esse necessarios. Eas autem corporis actiones necessarias ipse appellat, *quæ per essentiam, sive naturam corporis determinantur* (c). Ergo ii quoque motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, per corporis essentiam, quæ diversa ab illius structura non est (d), ipsiusmet quoque Volvii sententia, determinantur. Dubium igitur esse nequit, quin motus corporis volitionibus animæ respondentes ita fiant, etiam per Volvium, vi solius mechanismi, ut corpus sit ad eos omnes per suam structuram physice determinatum; ac proinde quin laudatus celeberrimus Auctor sibi apertissime contradicat, cum ait, *motus corporis, quos anima vult, & qui ad nutum ejus in corpore consequuntur, ita comparatos esse, ut corpus ad eos, atque ad oppositos iisdem aequè dispositum deprehendatur* (e).

ANIMADVERSI O VIII.

253. Tanta est, si Volvium ipsum audiamus, necessitas motuum corporis, qui appetitionibus animæ respondent, ut *naturaliter diversi esse non possint ab iis, qui actu consequuntur* (f). Eodem autem tenore, motus ipsi, perinde prorsus atque animæ volitiones & nolitiones, *contingentes inter se*, ita nimirum ut motus oppositi sint *in corpore aequè possibiles* (g). Ergo, nisi velit, eundem numero motum contingentem simul esse posse, ac *neccssarium*, moleste ferre nequit Vir Cl., si quis dixerit, *præstabilitæ harmoniæ* systema ne quidem ab ipso Volvio, quin pugnantia tradat, posse defendi.

S 2.

ANI-

(a) *Philos. pract. P. I. §. 12.*(b) *Psychol. ration. §. 633.*(c) *Philos. pract. P. I. §. 12.*(d) *Cosmol. §. 276.*(e) *Psychol. empir. §. 935.*(f) *Psychol. ration. §. 633.*(g) *Psychol. empir. §. 935.*

ANIMADVERSI O IX.

254. Motus corporis voluntarios definit Volfius, qui pendent a voluntate. Dependere autem illos, ait, a voluntate, quatenus per eam intelligitur, cur jam fiant, sive quatenus ratio ipsorum est volitio animæ (a). Sufficiens itaque ratio motuum voluntariorum corporis in animæ volitione posita est; ac propterea dependent istiusmodi motus ab anima eodem plane modo, quo principiatum a suo dependet principio, omnisque effectus a sua causa. Constat quippe, ipso auctore Volfio, principiatum a suo principio, & effectum a causa dependere, quia *sufficiens principiatum ratio* in principio est, & *sufficiens ratio effectus* in causa comprehenditur (b). Realis est autem, ut certum puto, dependentia principiatum a principio, & effectus a causa. Ergo realis quoque est dependentia motuum voluntariorum corporis ab anima; & ideo aut peccat Cl. Volfius, cum *voluntarios motus* appellat, quorum *sufficiens ratio* in animæ volitione posita est; aut si bibimet adversatur, cum ait, motus, qui volitionibus animæ respondent, nullatenus ab ipsa anima dependere (c).

ANIMADVERSI O X.

255. Præterea, cum ratio sufficiens motuum, qui per corporis structuram determinantur, in ipsa corporis structura posita sit (determinati quippe ratio, ut ipse docet Volfius (d), in determinante est), si motus corporis necessarii per illius structuram determinantur, sufficiens eorum ratio in ipsa corporis structura comprehenditur. Teste autem Volfio, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, sunt necessarii, & quidem tanta necessitate, ut *naturaliter diversi esse non possint ab iis, qui actu consequuntur* (e). Ergo, juxta Volfii principia, sufficiens horum motuum ratio in ipsa structura corporis continetur. Docet autem Vir ille doctissimus, sufficientem eorundem motuum rationem in animæ volitione contineri (f). Igitur aut animæ volitio, simulque corporis structura, est ipsorum motuum ratio sufficiens, & ideo necessarii simul sunt, & contingentes; aut Volfiana motuum vel necessariorum, vel voluntariorum definitio falsa est; aut demum fallitur Cl. Auctor, cum docet, motus

(a) *Psycol. empir.* §. 936.(b) *Ontol.* §. 866. 883.(c) *Psycol. ration.* §. 616.(d) *Ontol.* §. 116.(e) *Psycol. ration.* §. 633.(f) *Psycol. empir.* §. 936.

tus corporis, qui appetitionibus animæ respondent, esse necessarios.

ANIMADVERSI O XI.

256. Motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, nequeunt per corporis structuram determinari, quin omnes, juxta Volffii principia, ejus sint naturæ, cujus sunt secretio urinæ in renibus, cordis systoles, atque diastoles, ceterique motus hisce haud dissimiles; ac proinde quin omnes sint *naturales*, sive quia nullus eorum mentis imperio subjiciatur, ab eaque dependeat. *Naturales* enim sunt, inquit Vir Cl., actiones corporis, quæ per essentiam corporis determinantur. Ita secretio urinæ in renibus est actio naturalis, cum a libertate animæ minime dependeat, sed per structuram renum, & naturam corporis determinata sit, ita ut renes eandem secernant, sive anima velit, sive nolit, nec solo imperio in secretionem ista pro arbitrio suo quicquam immutare valeat. Similiter motus cordis actio naturalis est, cum per structuram cordis, & naturam corporis humani determinetur, ut cor moveatur, sive homo velit, sive nolit, nec quicquam solo imperio in eodem pro arbitrio suo immutare possit anima (a). Profecto, si talis est humani corporis mechanismus, ut Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima (b), dubium esse nequit, quin omnes istiusmodi motus Archimedæi corporis ita fuerint independentes ab illius anima, quemadmodum independentes ab eadem erant secretio urinæ in renibus, motus cordis, ceterique id genus alii. Hi autem omnes sunt *naturales*, istiusmodi nempe, ut voluntatis arbitrio nullatenus subjiciantur. Ergo hujuscemodi ii quoque omnes fuerunt, quibus summus ille Geometra tam præclara invenit, suosque libros conscripsit. Nullus itaque in Archimede fuit motus corporis liber; ac propterea neque in nobis aliquis istiusmodi est, si omnes, uti in Archimede, ita in nobis vi folius mechanismi peragantur. Miror porro, motum manus, quo unus alterum percutit, injuriam sibi illatam vindicaturus, sicuti & vini haustum actiones corporis liberæ a Viro Cl. appellari, contra vero *naturales* tum secretionem urinæ in renibus, tum motum cordis. Etenim hæ omnes actiones vel sunt per corporis structuram determinatæ; & ideo omnes ex æquo sunt aut *naturales*, aut *liberæ*. Vel non sunt hoc modo determinatæ; & tunc

Phil. Ment. T. II.

S 3

mo-

(a) Philof. pract. P. I. in not. ad §. 12.

(b) Psychol. ration. §. 637.

motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, non sunt necessarii.

ANIMADVERSI O XII.

257. Cl. Volfii doctrina penitius inspecta, fatalis videtur esse necessitas, cui omnes prorsus humani corporis actiones subjiciuntur. Is quippe rerum nexus, si ipsum audiamus, constitutus a Deo est, ut fieri nequeat naturæ viribus, quin in cujusvis hominis corpore ii omnes motus, ad quos per suam structuram jam determinatum est, re ipsa contingant. Postquam enim dixit Vir ille doctissimus, in systemate *harmonia præstabilita* animam vi propria producere omnes suas perceptiones, & appetitiones, eodem, quo nunc, modo consequuturas, etiamsi mundus hic adspectabilis, & corpus in motibus suis ipse harmonicum non existeret; & motus harmonicos in corpore vi mechanisimi produci, eodem, quo nunc, modo producendos, etiamsi anima non existeret, concludit: Deus igitur, qui poterat substantiam unam producere absque altera, corpus animæ liberrime junxit, quia in eo existere potest series motuum perceptionibus, & appetitionibus animæ consentientium, & eum fecit RERUM MATERIALIUM NEXUM, ut motus isti per continuas in organa sensoria extrinsecus factas impressiones actu producantur (a). Et infra: supponitur, inquit, corpus istiusmodi possibile, in quo vi mechanisimi motus eo ordine produci possunt, quales postulant volitiones animæ; supponitur etiam possibilis istiusmodi RERUM MATERIALIUM NEXUS, qualis ad hoc requiritur, ut per impressiones in organa sensoria continuo factas, motus isti actu consequantur (b). Necessitas itaque motuum corporis, qui volitionibus animæ consentiunt, oritur, juxta Volfium, tum ex mechanismo ipsius corporis, tum ex certo rerum naturalium nexu, vi cujus necessario futuri sunt in ipso corpore ii omnes motus, ad quos per suam structuram jam est determinatum. Fatalis est autem ea humanarum actionum necessitas, quæ ex causarum naturalium serie, a nobis inimpedibili, derivatur. Est enim fatum, ut dicebant Stoici, *rata staturaque causarum complexio, series, sive ordo, ac veluti ductus, qui a nobis transgredi nullatenus potest* (c). Ergo fatalis est illa necessitas, cui, juxta Volfii doctrinam, externæ hominis actiones subjiciuntur.

ANI-

(a) Psychol. ration. §. 628.

(b) Ibidem §. 633.

(c) Vide Plutarchum lib. I. de placitis
Philos. cap. 8.

ANIMADVERSI O XIII.

258. Contendet nonnemo, volitionem animæ, non quidem ut re ipsa existentem, sed ut a Deo prævisam, esse *rationem sufficientem* eorum motuum corporis, qui *voluntarii* dicuntur: videlicet humanum corpus non fuisse ad eos motus, quos modo agit, per suam structuram a Deo determinatum, nisi quatenus Deus ipse novit, vi præscientiæ suæ, animam, quæ illi copularetur, eos, & non alios esse volituram. Non inficior, id satis esse, ut animæ volitio possit *sufficiens* voluntariorum motuum *ratio* nuncupari. Verum opinor, hanc responsionem a Cl. Volfio adoptari non posse, quia sibi metipso, & quidem non uno in loco, nequaquam consentiat. Etenim *primo* concedere nequit Vir Cl., humanum corpus jam esse ad certos agendos motus per suam structuram determinatum, quin fateatur, falsum esse, quod ipse docet, *motus scilicet corporis a voluntate pendentes, contingentes esse in se, sive ita esse comparatos, ut corpus ad eos, atque ad oppositos iisdem sit æque dispositum* (a). Nec ipsum juvat, hanc corporis determinationem ex prævisa mentis volitione derivare. Quandoquidem, ut nulla modo sit contradictio, nulla modo debet esse physica corporis determinatio. *Secundo*: quia, si corpus ad eos agendos motus determinatum a Deo fuit, quos ipse jam novit animam, illi copulandam, esse volituram, detur oportet, juxta prævisam appetitionum seriem, corpus ipsum a Deo fuisse formatum: igitur falsum est, quod ipse ait Cl. Auctor, videlicet *neque corpus effectum esse juxta seriem perceptionum, & appetitionum animæ, neque animam juxta seriem motuum corporis; sed utramque substantiam in se possibilem intelligi citra relationem ad aliam* (b). Si namque corpus juxta prævisam seriem volitionum mentis formatum a Deo non est, me prorsus latet, quoniam deinde jure dicatur, motus voluntarios corporis ita dependere a prævisa mentis volitione, ut volitio ipsa, quatenus a Deo prævisa, sit eorundem *ratio sufficiens*. *Tertio*: quia vel etiam mutationes organorum sensoriorum corporis fuerunt a Deo determinatæ, quia prævidit, quæ rerum notiones essent in anima illi copulanda sequituræ, vel non. Si non scire optarem, quomodo factum deinde fuerit, ut nulla in anima exciteretur rei notio, cui sua mutatio in corpore non respondeat: præsertim si verum sit, neque *præsentiam idearum materialium in cerebro*, quemad-

S 4

mo-

(a) Psychol. empir. §. 935.

(b) Psychol. ration. in not. ad §. 625.

modum ipse docet Vir Cl., ad perceptiones producendas aliquid menti conferre (a); neque corpus in suis agendis motibus aliquo reali modo ab anima dependere (b). Si autem & ipsæ organorum sensoriorum mutationes determinatæ in corpore a Deo fuerunt, quia prævidit, quæ rerum notiones essent in anima sequuturæ: ergo sicuti *sufficiens ratio* motuum voluntariorum corporis volitio animæ est, quia motus ipsi non fuerunt in corpore determinati, nisi dependenter a volitione ipsa prævisa; ita *sufficiens ratio* mutationum organi sensorii ex rerum notionibus, quæ illis respondent, derivari debet, propterea nimirum quia determinatæ in corporis organis ipsæ itidem non fuerint, nisi dependenter a rerum notionibus, quas novit Deus tunc in anima sequuturas. Quamobrem fallitur Vir doctissimus, cum docet, *rationem sufficientem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in sensorio corporis organo, quæ tali, contingunt, contineri* (c). Dicere siquidem debuit, notionem rei, quæ excitatur in anima, esse *rationem sufficientem* mutationis, quæ tunc in sensorio corporis accidit, & ideo hanc ab illa dependere, quemadmodum dixit, motus corporis voluntarios ab animæ voluntate dependere, quia *sufficiens* illorum *ratio* in animæ volitione comprehenditur (d). Postremo: quia sicuti ex eo, quod prævisa animæ volitio sit *ratio sufficientis* motuum voluntariorum corporis, sequitur, recte dici posse, corpus ipsum aptatum a Deo fuisse ad animæ volitiones; ita vicissim, si *sufficiens ratio* notionum, quæ in anima excitantur, in illis mutationibus contineatur, quæ ex sensibilibus rerum appulsu in sensoriis corporis organis continuo peraguntur, videtur dicendum, rerum notiones determinatas a Deo fuisse in anima ex prævisione mutationum, quas vi præscientiæ suæ novit in corpore sequuturas; & ideo non corpus ad animam, sed animam ad corpus, quoad rerum perceptiones, aptatam a Deo fuisse; proindeque perperam eos carpi a Viro doctissimo, qui ajunt, harmoniam inter mentem & corpus fuisse a Deo præstabilitam, quatenus *animæ perceptiones, & appetitiones aptavit ad motus corporis necessarios*; quique propterea *animam comparant cum cane ab auriga currui alligato, qui una cum curru progredi tenetur, quo hic trahitur* (e). Quamvis enim perversa sit hæc *præstabilite harmonie* notio quoad animæ appetitiones, legitima tamen est quoad rerum perceptiones, si nimirum mutationes organorum sensoriorum corporis eo modo sint *ratio sufficientis* percep-

rio-

(a) Psychol. ration. in not. ad §. 614.

(b) Ibidem §. 616.

(c) Psychol. empir. §. 65.

(d) Ibidem §. 936.

(e) Psychol. ration. in not. ad §. 625.

tionum animæ, quo ejusdem volitiones *sufficiens ratio* motuum voluntariorum corporis ab ipso Volffio dicuntur. Ceterum, nullatenus dici posse a Volffio, rerum ideas determinatas a Deo fuisse in anima ex prævisione mutationum futurarum in organis sensoriis corporis, satis manifeste, ut puto, §. 180. demonstravimus.

ANIMADVERSIO XIV.

259. Diximus, ad tutandam in *præstabilita harmonia* systemate externam nominis libertatem satis non esse, determinationem motuum voluntariorum in corpore ex divina præscientia derivare, propterea nimirum, quia nihil rebus ex divina præscientia accedat, sed hujuscemodi intrinsecus ipsæ sint, posita divina præscientia, cujusmodi essent, si divina præscientia non haberetur. Hæc igitur etiam Cl. Volffii sententia est. De potentia siquidem Dei, ejusque voluntate differens Vir Cl., docet, *decretum Dei nihil in re decreta mutare*; quia *rei intrinsece, atque extrinsece possibili nihil superaddit, nisi certitudinem existendi* (a); unde infert, divino decreto *nec contingentiam, nec libertatem tolli* (b). Docet quoque, *præsentiam Dei in re præscita nihil mutare* (c); atque hinc *præsentiam Dei nec contingentiam, nec libertatem tollere* (d). Velit ergo, nolite, dicat oportet Vir doctissimus, aut repugnare hominem, cujus corpus sit ad oppositos motus intrinsece indifferens; atque hinc repugnare hominem, in cujus potestate sint ii sui corporis motus, qui *voluntarii* dicuntur; aut, si non repugnat homo, qui ad nullum motum sit per mechanismum sui corporis determinatus, talem quoque ipsum esse debere in signo posteriori ad divinam præscientiam, quippe quæ, etiam illius iudicio, nihil in rebus mutat; & ideo stat, perperam determinationem motuum in corpore ex præscientia volitionum animæ ab eo derivari; aut demum divinam præscientiam, juxta *præstabilita harmonia* systema, ita lædere externam hominis libertatem, ut eam evertat prorsus atque convellat; sibi que idcirco contradicere, cum ait, neque decreto Dei, neque divina præscientia libertatem ipsam ne quidem levissime labefactari.

ANI-

(a) Theol. natur. P. I. §. 516.

(b) Ibidem §. 527.

(c) Ibidem §. 529.

(d) Ibidem §. 539.

ANIMADVERSI O XV.

260. *Systema harmonia præstabilita*, inquit Cl. Volfius, *libertati non est adversum* (a); eademque in illo *viget libertas, quæ in systemate influxus physici* (b). Quæro a Viro doctissimo, de quanam hominis libertate hoc loco loquatur, nimirum an de *interna* tantum, de ea scilicet, quæ interiores dumtaxat mentis appetitionis respicit; num vero eam etiam complectatur hoc loco, quæ ad regulandos corporis motus sese extendit, hominemque dirigit exteriorem atque componit. Si de *interna* tantum libertate intelligat, non inficior, *præstabilita harmonia* systema humanæ libertati non esse adversum, mentemque nostram æque esse liberam in systemate *harmonia præstabilita*, ac sit hujuscemodi in systemate *influxus physici*; cum in utroque systemate ad suas omnes appetitiones sit per suam essentiam ex æquo indeterminata. Si vero etiam de *externa* hominis libertate velit intelligatur, parcat, si dixerò, me haudquaquam ei posse assentiri. Satis quippe ex hæcenus traditis perspectum esse puto, nullum in homine, *harmonistarum* systemate posito, esse motum corporis liberum, sed omnes physice necessarios, utpote omnes per corporis structuram determinatos. Ostendat Cl. Auctor, physicam hanc determinationem non impedire, quominus motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita contingentes sint in se, ut oppositi, salva corporis structura, sint in illo ex æquo possibiles, simulque cum physica illa determinatione adhuc stare, ut nonnisi ad animæ nutum motus ipsi peragantur, & tunc eidem dabimus, eandem, juxta utrumque systema, vigere in homine libertatem. Evincit quidem Vir Cl., *necessitatem motuum, qui appetitionibus animæ in corpore respondent non tollere libertatem in anima* (c). At non demonstrat, libertatem ipsam in homine per illam motuum necessitatem nequaquam tolli. Ad animæ libertatem satis est, ut appetitiones in illius sint potestate. Ad hominis vero libertatem requiritur, ut etiam motus corporis, quos ipsa vult, in illius potestate habeantur. Non enim anima solum, sed anima, & corpus unus est homo. Appetitiones sunt in potestate animæ, quia ipso teste Volfio, ad nullam earum appetitionum, quas elicit, per suam essentiam determinata est (d). Ergo, ut etiam motus corporis sint in hominis potestate, necessario est opus, ut ad nullum eorum, quos agit, sit homo per suam essentiam, scilicet per na-

(a) Psychol. ration. § 634.

(b) Ibidem §. 635.

(c) Psychol. ration. §. 635.

(d) Psychol. empir. §. 242.

naturam animæ, & structuram corporis, determinatus. Mirandum sane, Virum doctissimum totum fuisse in vindicanda animæ libertate, eam vero, quæ hominis est, ne quidem memorasse. Latere proculdubio ipsum non debuit, quantum *harmonistis* interfuit, distincte nitideque ostendere, ex *præstabilita harmonia* systemate nihil posse legitime colligi, quod humanæ libertati vel minimum officiat. Profecto & ipse monet Vir Cl., ut, quæ de humanæ mentis libertate tradita ab eo sunt, probe perpendantur, *ne consequentiariis* scilicet *facilem præbeant aurem*, qui ipsimet argumentum difficile discutere haud valent, dum tamquam pro aris & focis pugnantes, per *harmoniam præstabilitam libertatem funditus everti, fatalem verum omnium necessitatem introduci, & omnem non modo christianam, verum etiam ethnicam religionem tolli, imo omnem justitiam e civitate relegari clamant, ut hypothesim in se innocentem in odium adducant* (a). Verum an hoc argumentum recte discussum a me fuerit, viderint, qui in Volfii verba nequaquam jurarunt. Interim falsum arbitror, quod ipse docet Cl. Auctor, *in quocunque nimirum systemate de commercio inter mentem, & corpus libertatem & defendi, & negari posse* (b); cum constans mihi opinio sit, & firma sententia, tam *occasionalistas*, quam *harmonistas*, humanæ libertati, in hoc explicando commercio, penitus adversari.

ANIMADVERSI O XVI.

261. Si ii motus corporis, qui ad nutum animæ fieri dicuntur; humanas quoque inter actiones censeantur, nescio, quo jure dicere possit Cl. Volfius, *in systemate harmonia præstabilita actiones homini eodem jure imputari posse, quo in systemate influxus physici* (c). Etenim, illius quoque est sententia, *actiones naturales per se homini imputari non posse* (d). Actiones autem tam animæ, quam corporis vocat naturales, *quæ per essentiam, & naturam animæ, & corporis determinantur* (e). Ergo actiones, quæ per corporis naturam, sive structuram determinatæ sunt, neque per Volfium possunt homini imputari. Motus autem omnes corporis, etiam qui volitionibus animæ respondent, per illius structuram, juxta *præstabilita harmonia* systema, determinantur, ut jam ex ipsa eodem Volfii doctrina demonstravimus. Ergo nullus illorum est homini imputabilis; ac proinde nulla est

(a) Psychol. ration. in not. ad 632.

(d) Philos. pract. P. I. §. 529.

(b) Ibidem §. 536.

(e) Ibidem §. 12.

(c) Ibidem §. 635.

est externa hominis actio, quæ, hoc admissio systemate, homini imputari jure ac merito possit. Præterea illæ tantum actiones, ut ipsemet docet Volfius, imputari possunt homini, quæ sunt liberæ (a), & quidem non nisi quatenus liberæ, sunt homini imputabiles (b). Ad actionum autem libertatem opus necessario est, ut sint contingentes (c). Ergo contingens debet esse actio, ut digna sit, quæ homini imputetur. Motus autem corporis, qui volitionibus animæ respondent, sunt necessarii, & ea quidem necessitate, ut *diversi naturaliter esse non possint ab iis, qui actu consequuntur* (d). Ergo, nisi idem motus possit simul esse necessarius, & contingens, motus corporis, qui volitionibus animæ consentiunt, non sunt, juxta ipsiusmet Volfii doctrinam, homini imputabiles. Contra vero res se habet, si illi motus ab anima, ut a principio in eos ipsa influente, dependeant. Tunc enim & ipsi, non minus atque interiores appetitiones, libero animæ arbitrio subjiciuntur. Concedo, actiones humanas esse liberæ, quatenus volitiones liberæ sunt, & ob libertatem animæ in volendo, eidem imputari, ut scilicet vel premio, vel pœna dignæ videantur, imputationis fundamento unice in anima, nequaquam vero corpore, hærente (e). At nisi ostenderit Vir Cl., motus corporis, licet per illius structuram determinatos, ita ab animæ libertate dependere, ut modo possent non esse, si modo eos nollet voluntas, libertas animæ in volendo nihil prorsus ipsi suffragatur.

PROPOSITIO XIII.

Humana mens nos est corporis forma, si neque ipsa a corpore in suis perceptionibus appetitionibusque producendis, neque corpus in suis agendis motibus aliquo reali modo ab ipsa mente dependeat.

262. *Probatur.* Si neque mens a corpore, neque corpus a mente aliquo reali modo in operando dependet, nulla perfectio advenit corpori ex eo, quod anima illi copulata sit, nihilque consequitur anima ex eo, quod corpori unita existat. Ergo neque mens forma humani corporis est, neque corpus est ipsius mentis *subjectum*. Nulla quippe tunc apparet ratio, cur illa dicatur *forma*, hoc vero *subjectum* nuncupetur. Et sane, hac admissa mentis a corpore, & corporis a mente independentia, non aliter ipsa mens modo est in corpore,

(a) *Philos. pract.* P. I. §. 528.

(b) *Ibidem* §. 532.

(c) *Psychol. empir.* in *not.* ad §. 935.

(d) *Psychol. ration.* §. 633.

(e) *Ibidem* §. 635.

re, atque angelus in illo esse possit. Videtur enim, etiam angelum ita posse humano corpori conjungi, ut certi corporis motus perceptionibus ipsius angeli, ejusdemque appetitionibus *harmonice* consentiant. Omnium autem sententia, angelus nequit ita esse in corpore, ut illius *forma* vere dici queat, idque non aliam ob causam, nisi quia in operando nequit angelus a corpore dependere. Ergo neque humana mens est *forma* corporis, si ita in illo sit, ut nullo plane modo ab eo in operando dependeat.

Confirmatur. Etenim, si perinde se habet anima quoad omnes suas perceptiones & appetitiones copulata corpori, ac se haberet, si nullum, cui conjungeretur, corpus existeret, talis substantia profecto ipsa non est, quæ sua natura postulet corpori copulari. Similiter, si perinde sit corpori quoad suos omnes motus, sive in ipso existat rationalis anima, sive non existat, humanum corpus non est tale, quod a rationali anima perfici, ut suos agat motus, intrinsecus requirat. Ergo neque anima habere vere potest rationem *forma*, neque corpus *subjecti*; adeoque &c.

COROLLARIUM I.

263. *Nullum est præstabilita harmonia systema, si humana mens pro vera corporis forma habeatur.* Corruit enim hoc systema, nisi mens humana, ipsumque corpus, tamquam duo automata a se mutuo in operando penitus independentia assumantur (§§. 165., 166.). Quamobrem

COROLLARIUM II.

264. *Propugnari nequit præstabilita harmonia systema, nisi Ecclesiæ definitionibus aperte refragemur.* Opinio siquidem asserens, animam rationalem non esse vere & proprie formam humani corporis, damnata est, tamquam erronea, & veritati Catholicæ fidei inimica, tum in Concilio Viennensi sub Clemente V., tum in Concilio Lateranensi sub Leone X. *Doctrinam omnem* (ita Clemens V.) *seu positionem temere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia anime rationalis, aut intellectiva vere & per se humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac veritati Catholicæ fidei inimicam, sacro approbante Concilio, reprobamus, definientes, ut, si quisquam deinceps asserere, defendere, seu pertinaciter tenere præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva non sit forma corporis*
huma-

humani per se & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus (a).

C O R O L L A R I U M III.

265. *Præstabilita harmonia admissio systemate, ex anima rationali & corpore nequit fieri unum per se compositum. Nequit enim ex anima, & corpore fieri unum per se, nisi anima sit verè & proprie forma corporis. Quippe tunc solum actiones tam animæ, quam corporis possunt homini, tamquam uni omnium principio, imputari.*

S C H O L I O N.

266. *Cum non appareat, ut diximus, cur etiam angelus non possit corpori organico ita conjungi, ut motus corporis perceptionibus & appetitionibus angeli harmonice consentiant, aut etiam ex angelo & corpore constitui intrinsecus potest unum per se, aut neque homo unum per se compositum dici potest.*

A N I M A D V E R S I O I.

267. *Ex anima rationali, & corpore fieri unum per se, quia istiusmodi substantiæ a se mutuo in operando dependent, aperte fatetur Volfius. Is enim postquam dixit, animam a corpore dependere quoad perceptionum specificationem, & tempus, quo contingunt; corpus vero dependere ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum in corpore, & tempus, quo iidem contingunt (b), hæc habet: quoniam ex mutua illa corporis, & anime a se invicem dependentia intelligitur corpus illud ad animam, & animam ad hoc corpus pertinere; consequenter respectu corporis hanc animam nostram appellamus, prouti hoc corpus respectu anime nostrum appellare solemus, utrumque ens unam substantiam compositam constituere inferimus, & ideo mentem cum corpore unitam dicimus (c). Ex anima igitur, atque corpore ideo, etiam Cl. Viri sententia, sit unum per se compositum, quia ita simul unita sunt, ut a se mutuo in operando dependeant. Quamobrem aut errat, cum assumit, neque mentem a corpore (d), neque corpus a mente in suis functionibus exercendis dependere (e); aut fallitur, cum ait, ex anima atque corpore unam per se substantiam fieri, quia mens a corpore*

(a) Clemen. de summa Trinitate, & fide
Catholicæ. Vide Labbeanam Conciliorum
Collectionem Tom. XV. colum. 44., &
Tom. XIX. colum. 842.

(b) Psychol. empir. §. 961.

(c) Ibidem §. 963.

(d) Psychol. ration. §. 614.

(e) Ibidem §. 616.

porè quoad perceptionum specificationem, & tempus, quo contingunt; & corpus ab anima quoad specificationem motuum voluntariorum, & tempus, quo iidem contingunt, dependet.

ANIMADVERSI O II.

268. *Per regimen corporis, quod tribuitur animæ, inquit laudatus Auctor, intelligitur facultas ex pluribus motibus voluntariis per structuram corporis possibilibus, libere determinandi eum, qui actum consequi debet* (a). Ut igitur anima regere corpus possit, necesse est, ut ipsum corpus sit ad oppositos motus per suam structuram æque dispositum, sive ad nullum, ratione sui mechanismi, intrinsecus determinatum. Posito autem *præstabilita harmonia* systemate, motus corporis, qui volitionibus animæ respondent, ita sunt necessarii, ut etiam ipso teste Volfio, *naturaliter diversi esse non possint ab iis, qui actu consequuntur* (b). Ergo corpus, juxta hoc systema, regi ab anima nequaquam potest; & si non potest regi, neque potest unum per se compositum ex anima & corpore intrinsecus constitui.

PROPOSITIO XIV.

Plures simul in uno homine existunt animæ, si humana mens, atque corpus sint duo a se mutuo penitus independentia automata.

269. *Probatur.* Plures simul animæ in uno homine existunt, *materialis* scilicet una, *spiritualis* altera, si plura in uno homine sint principia, a quorum uno habeantur operationes *spirituales*, ab altero *corporeæ*, quin alterum ab altero in ipsis suis functionibus perficiendis aliquo reali modo dependeat. Evidens est autem, duo istiusmodi principia simul esse in uno homine, si humana mens, atque corpus sint veluti duo *automata*, in suis peragendis motibus a se mutuo penitus independentia. Ergo, hac data hypothese, plures simul animæ in uno homine sunt admittendæ.

Confirmatur. Si corpori, quoad omnes suos motus perficiendos, perinde omnino sit, sive in illo habeatur anima rationalis, sive non habeatur, vivit corpus ipsum, atque adeo est animatum, independenter ab anima rationali. Non enim externo agitur pulsu, sed se ipsum agitat, vique sua movetur; utque habet Tullius, *inanimatum est, quod pulsu agitur externo. Quod autem est animale, id motu cietur*

(a) Psychol. empir. §. 964.

(b) Psychol. ration. §. 633.

tur interiore, & ſuo (a). Animatum autem nequit eſſe corpus ſine anima. Ergo, ſi independenter ab anima rationali eſt aliquod animatum, anima in illo exiſtit, a rationali prorfus diverſa; adeoque &c.

S C H O L I O N.

270. Non ignoro, quosdam extitiſſe, qui dicerent cum Philoné; eſſe in homine duas animas, alteram carnis, per quam homo animal ſit, hanc eſſe ut in brutis ſanguinem; alteram hominis, qua homo eſt, hanc eſſe illud ſpiraculum incorporeum, ſeparabile, & æternum (b). Arbitror tamen, ingens eſſe hoſce inter atque *harmoniſtas* diſcrimen. Illi enim duas quidem in homine ponebant animas, verum ita, ut ſimul dicerent, immateriali corpoream ſubjici, ſive hanc ab illa in iis agendis motibus, qui *voluntarii* dicuntur, *realiter* dependere. Contra vero dicendum eſt, *harmoniſtarum* hypotheſis ſi admittatur. Juxta hanc enim principium corporearum omnium functionum in homine, materialis ſcilicet anima, nullo reali modo, ut ſatis patet ex dictis, a rationali dependet.

C O R O L L A R I U M I.

271. *Harmoniſtarum* ſi detur hypotheſis, plures ſimul animæ in uno homine ſunt admittendæ. Hac enim hypotheſi admiſſa dandum neceſſario eſt, omnes humani corporis motus tam *naturales*, quam *vitales*, & *animales* perfici vi ſolius mechaniſmi (§. 166.). Hinc

C O R O L L A R I U M II.

272. *Poſito præſtabilitæ harmoniæ ſystemate*, certo *cognoſci naturali ratione non poteſt*, num in humanis corporibus, a noſtro diſtinctis, *rationalis anima reiſa exiſtat*. Cum enim, hoc admiſſo ſystemate, omnes motus humani corporis, etiam qui conſilio perfici dicuntur, ita ſiant ſine ulla dependentia ab anima rationali, ut in illo eſſent futuri, licet anima rationalis in eo nequaquam exiſteret, non repugnat, ut corpus ipſum ſuos omnes agat motus, rationali anima deſtitutum. Igitur ex eo, quod humanum corpus a noſtro diſtinctum vitaliter moveatur, motuſque non animales ſolum, verum etiam rationales exerceat, inferri certo nequit, rationalem animam in illo reiſa exiſtere; adeoque &c.

ANI-

(a) Lib. I. 99. *Tuſcul.* cap. 23.(b) Valliſius *de ſacra Philoſophia* cap. 5.

ANIMADVERSIO.

273. Non dubito, quin concedat Cl. Volfius, humana corpus; in systemate *harmonia præstabilita*, rectissime posse independenter ab anima rationali, inter viventia collocari. Hujuscemodi enim est, ipsiusmet etiam Cl. Viri iudicio, ut sine ulla prorsus dependentia ab anima rationali, humanas omnes actiones, omnesque vitæ motus reapse perficiat. Cogitandum est, inquit Vir. Cl., quoniam homo cognitionis universalis capax, & ratiocinando ad discursiva iudicia pervenit, præterea operationibus intellectus rite usus, beneficio rationis, veritates incognitas detegere, & quæ animo complexus est, aliis explicare valet; in systemate *harmonia præstabilita* corpus humanum hæc omnia loquela oris profert, etiamsi nulla existeret anima (§. 616.) v. g. Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripsisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima (a). Principium igitur, a quo omnes corporeæ hominis actiones proveniunt, est aliud, etiam per Volfium, ab anima rationali; atque insuper tale ipsum est, ut a rationali anima nullo plane modo dependeat. Ceterum vellem scire a Viro doctissimo, qua ratione naturali ab eo convinceretur erroris, qui contenderet, in Archimedæo corpore animam rationalem nunquam fuisse.

PROPOSITIO XV.

Commercium, quod mentem inter atque corpus est, philosophice ab harmonistis non explicatur.

274. *Probatur.* Non alia juxta *harmonistas* est ratio, cur humana mens, atque corpus sibi mutuo suis in actionibus consentiant, nisi quia Deus voluit, atque fecit, ut hæc duo, etsi apprimè dissimilia, *automata* sibi mutuo in operando harmonice responderent. Ideo enim, si *harmonistas* audiamus, certe rerum notiones in anima respondent certis mutationibus corporis, & certi motus corporis quibusdam volitionibus mentis, quia hæc duo *automata* eo modo simul juncta a Deo sunt, quo ipse novit vi præscientiæ suæ, certo fore, ut simul utrumque operaretur. Philosophice autem non explicatur, cur, uno posito in rerum natura, alterum itidem contingat, si id ex eo oriri dicatur, quod ita illa disposuerit Deus, ut, quamprimum accidit

Phil. Ment. T. II.

T

unum,

(a) *Psychol. arion. S. 637.*

unum, & alterum fieret. Nihil quippe, quemadmodum *occasionalistis* objecimus suo loco, tam arduum, tamque explicatu difficile occurrere nobis potest naturæ phœnomenon, quod a quovis, quantumvis rudis ille sit & imperitus, exponi hac methodo nequeat & demonstrari. Ergo commercium, quod mentem inter atque corpus est, philosophice ab *harmonistis* non explicatur.

Confirmatur 1. Cum enim humana mens, juxta *harmonistarum* systema, independenter adeo a corpore suas omnes perceptiones, appetitionesque producat, ut non aliter operaretur, ac agit modo, etiam si nullum corpus existeret (§. 165.), corpus quoque sit *automaton*, vi sui tantummodo mechanisimi, sine ulla reali dependentia ab anima, omnes suos motus perficiens (§. 166.), nihil profecto, juxta hoc systema, est in anima, quod sit ratio, cur, quibusdam in ea positis volitionibus, certi in corpore motus fiant; nihilque in corpore est, quod sit ratio, cur, certis mutationibus ex rerum appulsu in illo factis, certæ rerum notiones in anima habeantur. Nulla igitur in rebus ipsis datur ratio, cur anima, & corpus sibi mutuo in operando consentiant. Quamobrem aut hujusce harmonici consensus ratio ex divina sapientia atque potentia unice derivanda est; aut dicendum, istiusmodi commercium omni prorsus ratione destitui. Hoc postremum certe non dabunt *harmonistæ*. Ergo Deum vocare debent ex machina, ut causam tam eximii phœnomeni nobis exhibeant.

Confirmatur 2. Ponamus, globum terraqueum esse machinam eo artificio a Deo elaboratam, ut, vi solius mechanisimi, quo instructa est, maris aqua bis singulis diebus fluat, bisque resuat. Ponamus quoque, Solem atque Lunam, vi solius mechanisimi, suum tam periodicum, quam diurnum motum perficere. Ponamus postremo, terraqueum globum eo artificio collocatum in universi centro a Deo fuisse, quo ipse prævidit, fore, ut effluat mare, cum Luna ad meridianum pervenit; resuat, cum illa prope horizontem existit. Hisce positis, quæro, an per hanc harmoniam inter terraqueum globum, & cœlestia corpora a Deo præstabilitam, maris æstus explicari ita possit, ut ipsa explicatio digna jure ac merito sit, quæ inter philosophicas censeatur. Si hæc explicatio ponatur Philosopho digna, miror, cur maris æstus adeo torserit olim, & modo etiam torqueat Philosophorum ingenia, cum tanta possit facilitate exponi; mihi gratulor, quod omnium primus tam grande naturæ arcanum in aperto posuerim. Si vero maris æstus hoc modo nequaquam exponitur, propterea nimirum quia principia, quæ assumuntur, æque nos lateant, ac phœnomenon ipsum, quod illorum ope explicatur, totaque

que insuper illius causa ex Divina sapientia derivetur: eandem ob causam neque explicatio commercii mentis cum corpore, quam tradunt *harmonistæ*, pro philosophica habenda est, sed, tamquam arbitraryum figmentum Philosopho prorsus indignum, est rejicienda.

ANIMADVERSIO II.

295. Ideo præcise, juxta *harmonistarum* systema, rerum notiones, quæ excitantur in mente, certis mutationibus corporis respondere, & vicissim quosdam motus corporis volitionibus mentis *harmonice* consentire, quia Deus hæc duo *automata* eo modo simul junxit, quo novit, certo fore, ut sibi mutuo *harmonice* in operando responderent, aperta etiam Cl. Volfii sententia est. Explicans enim Vir doctissimus, quomodo harmonia inter operationes mentis, & motus corporis præstabilita a Deo fuerit, manifeste docet, id fuisse factum, quatenus Deus *animæ junxit corpus, in quo existere potest series motuum perceptionibus, & appetitionibus animæ consentientium, & cum fecit rerum materialium nexum, ut motus isti ad actum perducantur per continuas in organa sensoria impressiones extrinsecus factas. Anima enim vi propria producit omnes, quas successive habet, perceptiones, & appetitiones* (§. 613.), eodem prorsus modo, quo nunc sese invicem excipiunt, consequuntur, etiamsi mundus hic ad spectabilem, consequenter corpus eidem junctum, non existeret (§. 614.). Est vero corpus aliquod possibile, in quo series quadam motuum per impressiones externas in organa sensoria conservari potest, qui singuli perceptionibus singulis, & appetitionibus animæ constanter consentiant (§. 617.). Hoc igitur corpus Deus animæ junxit, utque motus in eodem eo ordine se invicem actu consequantur, quo animæ modificationes sese excipiunt, nexum rerum materialium talem effecit, qualem requirunt externa in organa sensoria impressiones, quibus motuum series conservatur. Hoc pacto Deus in systemate harmoniæ præstabilite effecit, ut per essentiam, & naturam animæ atque corporis, totiusque mundi materialis, harmonia animæ, & corporis subsistat (§. 539.), consequenter harmoniam præstabilivit (a). Addit vero, ita demum intelligi, quid sibi velit harmoniæ præstabiliti. Est nempe (illius sunt verba) actus Dei, quo efficit, ut harmonia animæ & corporis subsistat, citra influxum realem unius substantiæ in alteram, per ipsam utriusque essentiam, atque naturam (b). Non aliam itaque ob causam, etiam si Volfium ipsum audiamus, juxta præstabilite harmoniæ systema, certæ rerum notiones in anima respondent certis mu-

T 2

ta-

(a) Psychol. ration. §. 614.

(b) Ibidem in not.

tationibus corporis, & vicissim certi motus corporis volitionibus animæ constanti lege consentiunt, nisi quia effecit Deus, ut illa duo *automata*, anima scilicet, atque corpus, licet independentia a se mutuo re ipsa sint, ita simul juncta in uno homine existant, ut in suis functionibus exercendis sibi invicem *harmonice* responderent.

ANIMADVERSIO II.

276. *Quia ex systemate harmonia prestabilita, inquit Cl. Auctor, per naturam animæ, ac corporis intelligitur, cur ideis materialibus in cerebro tales perceptiones in anima, & appetitionibus anima tales motus voluntarii in corpore coexistent, in systemate harmonia prestabilita commercium inter animam, & corpus intercedens per ipsam animam, & corporis naturam intelligibili modo explicatur (a). At vim rationis non capio, qua ostendit Vir Cl., per naturam animæ, & corporis intelligi in hoc systemate, cur ideis materialibus in cerebro perceptiones in anima, & appetitionibus anima tales motus in corpore coexistent. Permittito, nullam in anima dari perceptionem, vel appetitionem, quin aliquis ipsi in serie motuum respondeat motus; nec vicissim aliquem in serie motuum dari motum, quin eidem in serie perceptionum, & appetitionum aliqua respondeat perceptio, & appetitio. Id enim, ipsa teste conscientia, notum cuique est, neque aliud nomine mutui commercii mentis cum corpore, ut suo loco diximus, designatur. Verum me ignorare, candide fateor, quoniam jure per particulam illativam (atque adeo) hinc inferat Vir doctissimus, per naturam, & essentiam animæ, & corporis intelligi, cur perceptiones, & appetitiones in anima; & motus quidam in corpore eodem tempore contingant, & consequenter in anima, & corpore contineri rationem sufficientem continuitatis temporis, quo perceptiones, & appetitiones in anima, & utriusque consentientes motus in corpore contineant. Illationem hanc, inquam, me ignorare, fateor. Essentia animæ talis est, ipso auctore Volffio, ut producat seriem perceptionum, & appetitionum, vi propria, citra ullam realem ipsius animæ a corpore dependentiam (b), adeoque ut eandem perceptionum atque appetitionum seriem esset productura, etiamsi neque corpus, neque adspectabilis ipse mundus existeret (c). Illius quoque naturæ est humanum corpus, ut in ipso contingat series quædam motuum ex se invicem nascentium vi solius mechanismi, citra ullam dependentiam realem corporis ab anima (d), videlicet ea ratione*

(a) Psychol. ration. § 620.

(b) Ibidem §. 618.

(c) Ibidem §. 614.

(d) Ibidem §. 618.

ne, ut iidem ipsi motus in illo consequerentur, *quomodo anima non existeret* (a). Ergo tantum abest, ut, hisce positis principiis, intelligi queat per naturam animæ, & corporis, cur perceptiones & appetitiones in anima, & motus quidam in corpore simul eodem tempore contingant, quin contrarium potius dicendum videatur. Quomodo enim per essentiam corporis intelligi potest, cur operetur anima, & per naturam animæ, cur moveatur corpus, si anima non aliter operaretur, nullo existente corpore, ac modo operatur, copulata corpori; neque alios motus ageret corpus anima destitutum, nisi quos perficit anima præditum? Intumescit aqua maris, cum Luna ad meridianum pervenit, neque tamen per naturam maris intelligitur, cur Luna meridianum tunc assequatur; neque per naturam Lunæ, cur tunc mare exundet. Si neque mens a corpore, neque corpus a mente, licet eodem simul tempore suas operationes perficiant aliquo reali modo dependet, quemadmodum nulla est nec mei a Volvio, nec Volvi a me, etsi eodem scribamus tempore, in scribendo dependentia, certe aut etiam dandum est per mei naturam intelligi, cur Vir ille Cl. modo scribat, & per illius naturam, cur scribam ego; aut negandum, intelligi per animæ, corporisque naturam, cur perceptiones in anima respondeant mutationibus corporis, & motus corporis volitionibus mentis *harmonice consentiant*. Hisce porro iidem momentis eo itidem adducor, ut dicam, in *systemate præstabilitæ harmoniæ* intelligibili modo non explicari, cur *talibus mutationibus positis in organis sensoriis corporis, tales rerum ideæ excitentur in anima, & vicissim cur volitionibus mentis hi potius, quam alii in corpore motus respondeant* (b). Ut evincat Cl. Auctor, id in *præstabilitæ harmoniæ* systemate intelligibili modo exponi, assumit, *rationem sufficientem* perceptionum in mutationibus corporis, & *sufficientem rationem* motuum corporis in mentis volitionibus comprehendi. Sed, cum in hujusce demonstrationis limine veluti certum ponat, neque mentem a corpore in suis perceptionibus appetitionibusque producendis, neque corpus a mente in suis agendis motibus aliquo reali modo dependere, grave ne sit Viro doctissimo, si dixerò, pugnantia videri, quæ tradit, quaque utitur demonstratione, nihil prorsus concludi.

A N I M A D V E R S I O III.

277. *Hæc, inquit laudatus Auctor, est prærogativa systematis harmoniæ Phil. Ment. T. II.*

T 3

præ-

(a) *Psychol. ration. §. 616.*

(b) *Ibidem §. 618.*

præstabilita præ ceteris, ut commercium scilicet mentis cum corpore per ipsam animam corporisque naturam intelligibili modo in illo explicetur. Etenim in systemate influxus physici sumuntur, quorum nullam habemus notionem, ut inde explicemus commercium inter animam atque corpus intercedens. In systemate causarum occasionalium recurritur ad potentiam Dei infinitam, ut reddatur ratio eorum, quæ in natura rerum occurrunt. Utrumque in Philosophia alias improbat, quæ non fert, ut in numerum causarum naturalium referantur qualitates occulta, & neglectis causis secundis, ad causam primam provocetur, quando effectuum naturalium queruntur causa. Ceterum per propositionem præsentem redarguitur illorum error, qui sibi persuadent, quasi harmonia præstabilita sit terminus inanis, & quæ eodem jure in numerum qualitatum occultarum referri mereatur, quo odium naturale plantarum in Physica Scholasticorum in eundem referri solet. Qui vero ita sentiunt, non satis intelligere videntur, quid sit harmonia præstabilita, neque intelligunt, quæ de nexu substantiarum citra influxum realem in mutationibus suis harmonicarum in genere demonstravimus (41., 42., 43. Cosmol.). Redarguitur non minus per propositionem præsentem error eorum, qui contendunt, in systemate harmoniæ præstabilitæ non minus ad voluntatem Numini provocari, quam in systemate causarum occasionalium. Qui enim ita sentiunt, denuo non satis intelligere videntur, quid sit harmonia præstabilita, præstabilitione non rite intellecta (a). Hæc itaque Volfius. Verum quo jure, non satis intelligo. Et quidem in primis, nisi Vir doctissimus aliter, atque factum ab eo fuerit, ostendat, in systemate harmoniæ præstabilitæ per naturam animæ ac corporis intelligi, cur ideis materialibus in cerebro tales perceptiones in anima, & appetitionibus animæ tales motus voluntarii in corpore coexistent, nunquam dabimus, quod inde ab illo infertur, commercium scilicet inter animam, & corpus intercedens per ipsam animæ & corporis naturam intelligibili modo in hoc systemate explicari. Tantum enim abest, ut illud ostenderit Cl. Auctor, quin contrarium potius, sicuti vidimus, ex præstabilitæ harmoniæ principiis apertissime colligatur. Quæ sit ergo prærogativa systematis harmoniæ præstabilitæ præ ceteris, plane non video. In systemate influxus physici, inquit ille, sumuntur, quorum nullam habemus notionem, videlicet animam physice agere in corpus, & corpus in animam. At etiam in præstabilitæ harmoniæ systemate principia adhibentur, quæ penitus inspecta non minus, quam physicus ille mentis in corpus, & corporis in mentem influxus, captum superant. Intelligi nequit, quæ sit physica illius influxus natura. Verum ecquis est

(a) Psychol. ration. in not. ad §. 629.

est, qui naturam animæ, & corporis, qualis ab *harmonistis* fingitur, possit mente complecti? Humana mens juxta *harmonistas* ejus est naturæ, ut sibi eodem, quo nunc, modo repræsentaret hoc universum, etiamsi mundus adspectabilis non existeret (a): videlicet etiamsi Deus, inquit Vir. Cl. Petrus de Crofa, non condidisset corpora humana, erat tamen Adami mens (*harmonistarum* sententia) tale automaton, non quidem corporeum, sed spirituale (cujus nulla habeatur idea) ut vi automatica sua dispositionis credidisse se junctam corpori in horto amenissimo posito, fructibus ejus vescentem, nomina imponentem animalibus, quæ nusquam fuissent, arripientem fructum vetitum, comedentem, quæ nequidem erant, inde conterritam, lugentem, & in veniam receptam, liberos postmodum suscipientem &c (b). Humanum quoque corpus illius ab *harmonistis* fingitur structuræ, vi sui tantummodo mechanismi omnes, quos agit, motus, eodem, quo nunc, modo adhuc in illo consequerentur, etiamsi anima non existeret (c), nempe si nulla fuissent mentis condita, inquit laudatus Petrus de Crofa, corpora, quæ nunc ipsis juncta putantur, & earum nutibus subjacere, saltem ex parte, corpora illa nihilominus mente vacua, & cum nulla mente relationem habentia, tam scientias excolitura fuisse, societates instituta, easdem legibus ornatura, & magistratibus cum bellicis, tum politicis firmatura. Fœdera inter se principes machinas omni intelligentia destitutas inituras fuisse, legatos ad se invicem orationibus elegantibus ore & scripto reposituros. Cum religione excogitatas Academias pariter fuisse a meris corporibus omnicoogitatione vacantibus instituendas. Oratores sacros ad fletum, & pœnitentiam hortantes, gemitus ex pectoribus, a quibus intelligi non poterant, elicituros fuisse. Libros in sectas divisas machinas in se mutuo conscripturas fuisse, quorum verbis sensum nullus adijceret. Inde in bella erupisse, per instrumenta pacis sedanda. Machinas denique ad conspectum metallorum in monetas adductorum ita exarsuras fuisse, ut nihil sit, quod non ab eorum lateriis per radios inde manantes actis, exigi non potuerit (d). Neque arbitrandum, a tanto Viro *harmonistas* imponi. Summus quippe & ipse *harmonista* Volvius, talem atque tantum esse, ait, humani corporis mechanismum, ut Archimedes tam sublimia inventa, quibus Geometriam ditavit, in libris suis exposuisset, librosque singulos eodem, quo conscripti sunt, modo scripisset, etiamsi nulla ipsi fuisset anima (e). Hæc igitur sunt principia, quibus totum innixum est *prestabilitæ harmoniæ* systema. An autem captu faciliora

T 4. sint,

(a) Psychol. ration. § 614.

(b) Dissert. de mente humana Sect. I. I. num. 48.

(c) Psychol. ration. § 615.

(d) Dissert. de mente humana Sect. I. I. num. 48.

(e) Psychol. ration. § 637.

sint, quam *influxus physicus*, illi videant, in quibus non tantum potest præjudicata opinio, ut sine ratione valeat auctoritas. Ergo certe cohibere me non possum, quin dicam cum laudato Viro doctissimo Petro de Crofa: *Et sunt, qui se non deridendos putant, cum irrident, qui ejusmodi somnia mirari dedignantur* (a)! Itaque moleste neferat Volfius, si iidem ferme vitiis obnoxium esse dixerō *prestabilitæ harmoniæ* systema, quorum tum *influxus physici*, tum *occasionalium causarum* hypotheses ipse accusat. Peccat, inquit, systema *influxus physici*, quia hujusmodi *influxus* nulla habetur notio; ergo peccat *harmonistarum* systema (opponet *influxionista*) quia humani corporis mechanismus, ipso iudice Volfio, talis est, ut a nobis nequeat comprehendendi (b). *Influxus* mentis in corpus, & corporis in mentem, auctore Volfio, inter *occultas qualitates* recenseri jure optimo debet, propterea quia neque illius noscitur natura (c), neque existentia demonstratur (d): ergo etiam mechanismus humani cujusvis corporis inter *qualitates occultas* numerandus est, quia, ut Volfius ipse fatetur, neque comprehendendi animo potest (e), neque aliqua ratione ostendi (f). Non fert Philosophia, ut in numerum *causarum naturalium* referantur *qualitates occultæ*: ergo neque ferre poterit, ut ad explicandum mentis cum corpore commercium talis fingatur ipsius mentis corporisque natura, quam ne ipsi quidem *harmonistæ* possunt concipere. Qui *vim attractricem* magnetis allegat *tamquam causam motus ferri ad magnetem, atque mutua adhesionis, dat*, inquit Volfius, *sine mente sonos* (g): ergo etiam qui *automaticam* quamdam vim sibi tum in anima, tum in corpore fingunt, ut harmonici consensus, qui hæc inter substantias est, rationem reddant, sonantibus utuntur verbis, quæ nos minime doctiores efficiunt. Qui dicunt, ait Cl. Auctor, *harmoniam prestabilitam esse terminum inanem*, non satis intelligere videntur, quid ea sit. At ignoro, num jure id obiici illis etiam possit, qui fatentur, se quidem animo complecti, quid sit *harmonię prestabilitio*; at nullo modo, ajunt, ab se intelligi, quodnam inter *automaticam* mentis corporisque vim, & *facultatem attractricem* magnetis discrimen habeatur. Peccat *occasionalium causarum* systema, quia in illo fit recursus ad potentiam Dei infinitam, ut naturæ phænomenon, mentis scilicet cum corpore commercium, apertum fiat: ergo *prestabilitæ harmonię* systema itidem peccat, quia juxta *harmonistas* non alia quoque ejusdem commercii ratio est, nisi eadem ipsa Dei potentia. Naturalis Philosophia

(a) Dissert. de mente humana Sect. III. num. 48.

(b) Psychol. ration. §. 637.

(c) Ibidem §. 573.

(d) Ibidem §. 588.

(e) Ibidem §. 637.

(f) Ibidem in not. ad §. 617.

(g) Logicæ in not. ad §. 136.

phia non patitur, ut, *neglectis causis secundis, ad causam primam provocetur, quando effectum naturalium queruntur cause: ergo eadem ipsa non finit, ut, omni sublata actione mentis in corpus, omnique corporis in mentem causalitate rejecta, sola Dei sapientia atque potentia factum fuisse dicatur, ut idee sensuales ideis materialibus ita coexistent, ac si corpus in animam influeret, seu vi sua illa produceret, & vicissim motus voluntarii in corpore ita coexistent volitionibus animæ, ac si anima in corpus influeret, seu vi sua motum corporis produceret (a).* Sciat velim, Vir doctissimus, eos, qui ajunt, *in systemate harmonia præstabilitæ non minus ad voluntatem numinis provocari, quam in systemate causarum occasionalium, harmoniæ præstabilitionem animo comprehensam habere; at ignorare prorsus, quæ sit ratio distincta a divina voluntate atque sapientia, propter quam anima, & corpus, licet re ipsa sint duo automata a se mutuo penitus independentia, ita harmonice in operando sibi mutuo consentiant, ut a se invicem suis in actionibus dependere videantur. Habent quidem & ipsi pro re comperta, ob omnimodam creaturarum a Deo dependentiam fieri non posse, quin tandem ad Deum perveniatur. At ratum simul illis fixumque est, tunc solum Deo, tamquam universali causæ, rerumque omnium moderatori optimo, naturales effectus referendos esse acceptos, cum peculiare singulorum causæ in ipsa rerum natura determinatæ jam fuerint. Hanc exhibeat, inquiunt, Vir ipse doctissimus, cum ab illo quæritur, cur rerum notiones in anima mutationibus corporis, & motus corporis volitionibus animæ constanti lege respondeant, & tunc ei dabunt, harmonistas inter, atque occasionalistas latum esse discrimen. Caveat solum, ne tunc sibi contradicat, quippe qui jam dixerat, in tota rerum natura nihil reperiri posse, per quod præstabilitione illa fieri potuisse intelligatur, consequenter in tota rerum natura rationem sufficientem non haberi; & ideo præstabilitionem ipsam esse miraculum (b). Interim ergo ei non sit grave, si ipsi subscribere nequeamus, cum ait, systema harmonia præstabilitæ admodum probabile (c); ceterisque systematis explicandi commercium animæ & corporis esse præferendum (d).*

PRO-

(a) Psychol. ration. §. 621.

(b) Ibidem §. 629.

(c) Ibidem §. 638.

(d) Ibidem §. 639.

PROPOSITIO XVI.

Præstabilita harmonia systema neque dignum Philosopho est, neque a Viro catholico propugnari sine piaculo potest.

278. Probatur primo hoc systema non esse dignum, quod ab ingenio Philosopho admittatur. Etenim non arbitraria solum (§§. 169. 172.), verum etiam nobis penitus incomprehensibilia sunt principia, quibus innititur (§. 277.); eaque insuper huiuscemodi sunt, ut admitti nequeant, quin plura ambigua prorsus, atque falsa pro veris habeantur. Hisce enim positis, dandum necessario est I. nullius plane naturalis effectus efficientem causam cognosci per experientiam a nobis posse, certoque determinari (§. 176.). II. mentem ita semper cogitare, ut ne quidem in alto hominis sopore a cogitando cesset (§. 182.). III. plura in ipsa mente contingere, quin ulla penitus eorum assignari a nobis queat ratio sufficiens (§. 186.). IV. realem corporum existentiam haud posse naturali ratione contra idealistas evinci (§. 195.). V. animas rationales specie distingui (§. 232.), certoque cognosci a nobis minime posse, num in humanis corporibus, a nostro distinctis, rationalis anima vere existat (§. 272.). Tale demum est hoc systema, ut mutuum mentis cum corpore commercium philosophice illius ope non explicetur (§. 274.). Ergo dignum istiusmodi systema non est, quod ab ingenio Philosopho admittatur.

Probatur modo, *præstabilita harmonia* systema non posse a Viro catholico sine piaculo propugnari. Non enim hoc a nobis potest systema defendi, quin Catholicæ fidei, quam profitemur, labes, & quidem maxima, inferatur. Etenim I. S. Scriptura atque Patribus aperte contrarium est (§. 200.). II. ad inhoneste vivendum viam apertissimam sternit (§. 210.). III. nullam esse ponit concupiscentiam, quæ dicitur anima ex carne (§. 214.), quamque Theologi originali peccato acceptam referunt (§. 216.). IV. divisionem animæ in partem superiorem, & inferiorem, quam ex S. Scriptura, & Patribus communi calculo tradunt Theologi, omnino evertit (§. 217.). V. macerationes carnis ad eam subigendam spiritui inutiles exhibet (§. 223.), datque ansam, ut, quæ de corporis penitentia tradit Ecclesia, veluti plane inutilia, rideantur (§. 224.). VI. hominis tum in suas perceptiones (§. 229.), tum in motus sui corporis libertatem, quæ a necessitate dicitur (§. 241.) plane convellit, externas hominis actiones fato subicit (§. 243.), efficitque, ut homini imputari jure illa non possint (§. 245.). VII. ponit, frustra cum Apostolo clamare Ecclesiam, ut in externis corrigendis moribus suam
chri-

christianus populus diligentiam collocet (244.). VIII. ansam demum prabet dicendi, secus ac Ecclesia defuierit, mentem humanam non esse corporis formam (§. 263.) pluresque a se mutuo independentes animas, in uno simul homine contineri (§. 271.) Igitur præstabilita harmonia systema non solum indignum Philosopho est, verum etiam nequit sine piaculo a Viro catholico propugnari.

ANIMADVERSI O I.

279. *Si quis hebetior fuerit, inquit Volfius, quam ut philosophicam scientiam capere possit; vel infirmior, quam ut, inoffensa pietate, systemati harmonia præstabilita assentiat, is systema influxus physici amplectatur, & systema harmonia præstabilita, si velit, damnet, modo sibi temperet a malitia. Etenim, qui hebetior est, quam ut philosophicam scientiam capere possit, is assentiri nequit ob rationum evidentiam, sed assensus ejus nititur rationibus extrinsecis, & præjudiciis, quæ a prima juventute hausit, difficillime eradicandis, atque idem passionibus animæ obnoxius. Quamobrem, si vel maxima veritati assentitur, aut, quod est probabile, ei præfert, quod minus probabile; non tamen id ideo facit, quod veritatem, qua talem agnoscat, & probabilitatem introspicat, sed istiusmodi rationibus adductus, quæ, casu ita ferente, eundem permovere poterant ad contrarium firmiter tenendum, & pertinaciter defendendum. Perinde igitur est, sive assensum suum præbeat Philosophis, sive eundem deneget. Equo igitur Philosophus ferre debet animo dissensum eorum, qui hebetiores sunt, quam ut philosophicam scientiam capere possint; consequenter nec egre fert, si systema influxus physici amplectantur, & systema præstabilita harmonia damnent, modo sibi a malitia temperent; quippe cum nemo ferre possit in altero studium nocendi, sed unusquisque ipso naturæ jure adversus vim aliorum sese defendere teneatur. Qui infirmior est, quam ut, inoffensa pietate, systemati harmonia præstabilita assentiat, is veretur, ne hac hypothesis sit impia, & religioni inimica, propterea quod sibi semper persuasit, systema influxus physici in Scriptura sacra probari, nec salva ejus auctoritate rejici posse. Quamobrem cum ista infirmitas ab hebetudine mentis proficiat, fieri haudquaquam poterit, ut contrarium doceatur. Quamobrem cum Philosophus æquo ferat animo, ut hebetiores, quam ut philosophicam veritatem capere possint, systema harmonia præstabilita damnent, & rideant, & systema influxus physici probent, & extollant; multo magis condonabit infirmioribus, quam ut, inoffensa pietate, systemati harmonia præstabilita assentiantur; cum præstet, pium esse, quam*

cæ-



cæcum hypothesi philosophica præbere assensum, ut systemate influxus phisici pietatem fulciant, & systema harmoniæ præstabilitæ, si velint, damnent, modo caveant, ne zelus in malitiam degeneret, quæ cum pietati adversa sit, ferenda animo æquo non est (a). Patet ergo, quam honorifice de iis sentiat Volfius, quibus non arridet, quod ei summa veritas est, præstabilitæ harmoniæ systema. Ad me in primis quod spectat, fateor ingenue; hebetioris me esse ingenii, quam ut philosophicam a tanto Viro traditam, præstabilitæ harmoniæ scientiam valeam cogitatione complecti; tantæque propterea infirmitatis (hæc enim, ut ipse ait, ab hebetudine mentis proficiscitur), ut tam præclaro systemati, salva fide, quam corde & ore profiteor, assentiri nequitiam me posse putem. Non enim me pudet, ut istos, fateri nescire, quod nesciam (b); nec ego is sum, qui nihil unquam falsi approbem, qui numquam assentiar, qui nihil opiner (c). Certa dicent ii, qui cum tanto Viro & percipi ea posse dicunt, & cum commercii mentis cum corpore causa quaritur, se sapientes esse profitentur (d). Ceterum adeo apertum arbitror, præstabilitæ harmoniæ hypothesim fictitiis inniti principiis, nulla prorsus ratione ostendi, ejusque tutandæ causa, non uno in loco Virum Cl. sibimetipsi adversari, ut, si ita mihi fari cum Viro doctissimo liceat, puderet me dicere non intelligere, ipsi intelligerent, qui hæc tractarunt (e). Constans igitur mihi est, semperque, bona tanti Viri venia, erit opinio, systema harmoniæ præstabilitæ neque dignum esse ingenuo Philosopho, neque a Viro catholico sine piaculo posse defendi. Hactenus de me. Quod vero ad alios spectat, qui huic systemati adversantur, miror, eos omnes inter hebetiores, infirmioresque ab uno Volfio collocari. Latere quippe ipsum non debuit, quodnam Vallisnerii, Petri de Crofa, Gravesandi, Petri Bayle, aliorumque de hoc systemate judicium fuerit. De viventium etenim generatione differens Cl. Vallisnerius, postquam docuit contra Leibnitium, ipsumque adeo Volfium, rationales omnium futurorum hominum animas initio temporis simul creatas a Deo non fuisse, neque suis corpusculis organicis, seu vermibus spermaticis, ut ille perperam opinabatur, tunc fuisse inclusas, hæc habet de automatica facultate productrice idearum, quam in anima rationali finxit Leibnitius, ut præclarum suum præstabilitæ harmoniæ systema stabiliret: *In quanti lacciuoli, e trappole, per voler saper troppo, sono cadute anime illustri, elette per altro a magnanime imprese,*

(a) Psychol. empir. §. 640.

(b) Tullius lib. I. qq. Tuscul. cap. 25.

(c) Idem lib. I. qq. Academ. cap. 20.

(d) Ibidem lib. I. qq. Tuscul. cap. 9.

(e) Melchior Cano lib. IX. de locis Theol. cap. 7.

e a dar gloria e fama alle Lettere, ed ai Filosofici studj? Quanto bella, quanto ingegnosa la nobil Theodicea del suddetto valente Scrittore sarebbe, se non avesse voluto pensar troppo libero, e tentato penetrare troppo addentro negli arcani profondissimi della creazione? Quel volere, che il nascere delle anime nostre fosse anch' esso uno sviluppo, e che tutte create fossero in un un sol colpo, e ne' suoi organetti rinchiusi, i quali strigandosi col tempo, dassero campo anche all' anima di strigarsi, anzi che i pensieri stessi, che facciamo, e tante nobili produzioni di mente fossero anch' esse tutte inviluppate, e che di giorno in giorno, conforme le occasioni, e i modi pian piano sviluppando si vadano, di maniera che nulla in questo Mondo, ne meno immateriale, si crei di nuovo, ma tutto solo col tempo si manifesti, e sensibile si renda, è un voler troppo sapere, dove poco, o nulla saper possiamo (a). Hæc Vallisnerius, cujus quantum in naturæ arcanis investigandis ingenium fuerit præclara tum naturalis Philosophiæ, tum Medicinæ opera ab eo edita manifeste ostendunt. Ita vero Petrus de Crofa Matheseos, ac Philosophiæ in Groningensi Academia Professor eximius: Mirum certe videtur, & ad instar prodigii est, quod systema (præstabilitæ harmoniæ) adeo obscurum, supra quam dici potest, paradoxum, libertatem homini eripiens, unde virtutes ejus decus suam trahunt, & qua erepta, non est quod corpus suum, in quod nullum imperium habet, Deo offerat, Deo mancipet in victimam rationalem, non ex impetu, ex causarum fatali serie nato, sed ex animo libere Deo sese devotente; mirum est, systema moralitatem tollens, miracula, quibus Deus sese cognoscendum & palpandum hominibus, tamquam naturæ Dominum supremum, ejus leges a se positas pro arbitrio summo suspendentem, flectentem, & refringentem, exhibet, miracula ad seriem illam fatalem revocans, præmiorum splendorem & decentiam, pœnarum justitiam, & eo ipso legum aequitatem, uno verbo, religionem omnem, & christianam præsertim, quæ satisfactionem tanti meriti ad peccatorum absolutionem agnoscit, funditus evertens, tot habuerit, & habeat affectas. Sed reputandum est, hominibus laboris impatientibus, quales plurimi sunt, & examinis molestiam fugientibus, dulce esse auctoritati acquiescere, quam fama, aut affectibus moti, Doctoribus suis imputare amant, sibi que videntur ex parte in se accersere gloriam nominis illustris, a quo denominari eligunt. Atque huic ipsos trahit suorum Magistrorum stilus, quo demonstrationes meras se dare professi, libros suos non in gratiam hominum inferioris ordinis scriptos, sed unice in utilitatem excelsissimarum mentium editos, monent, & prædicant. Præterea dum, crebra repetitione, formulas

&

(a) P. II. de odis femin. vivip. cap. 14.

& hypothefes familiares sibi præstiterunt, eo tandem deveniunt, ut nominus perspicuas credant, quam familiares: qui error certe est ex frequentissimis, in eoque isti tanto magis sibi plaudunt, quo ceteros de systematis, quod clare a se teneri putant, obscuritate conqueri audiunt. Continet & illud systema, unde animos hominum sibi conciliet. Non desinit quippe liber esse, qui libertatis existentiam negat. Illa ergo facultate, quoties lubet, utitur, illiusque usus suavitate afficitur. At si forte veniat in mentem, se libertate sua abusum, contra conscientiae morsus, tristesque agitationes, ejusmodi persuasionem comitari solitas, habet continuo in sua hypothefi tutum perfugium. Male si vixerit, id unice imputandum videt seriei, cujus ipse nec auctor, nec dominus fuit, & in quam nihil potuit. Si sibi bene sit, letatur. Si quid iterum admisserit, quod hominibus illaudabile videri soleat, scit, quo fato fuerit pertractus, nec sibi quicquam exprobat. Nec leve pondus addunt assensui tanto, & præjudiciis ab hypothefi ipsi dissentientes. Cum enim inter Theologos occurrant in Physicis, & præsertim in Mathematicis parum admodum exercitati, hos omnes contemnunt ceu homines, quorum ratio inexculta jacet. Maxime vero in istos sensus adducuntur, si quando, ut fit, eorum aliquos videant levibus argumentis in præclarissima, exquisitissima, simulque solidissima Recentiorum inventa invehi, quasi non foret summe absurdum, aliquem traducere tamquam nullius rei peritum, & de nulla judicare parem, quod omnia non affecutus fuerit. Certe Grammaticum interrogat vir Mathematicus, consulit Historicum, consulit Opificem, & cum singulis pro arte sua respondentibus attendit, se ratione sua legitime uti existimat (a). Et infra idem Cl. Auctor sed quid mihi propono, aut quid sibi proponunt præstabiliæ harmoniæ defensores. In eorum sententiam venient quicumque fatali serie eo adducendi sunt; eam rejicient, quorum mechanismus erit contrarius. Perit fructus omnium collationum, & placidarum disputationum. Nullus est character veri, suam quisque amplectitur sententiam, ad quam amplectendam per singularem sibi, aut cum aliis communem mechanismum, sed immutabilem sibi & illis, inducitur. Frustra disputatur de primo calculi differentialis auctore. Quis eam questionem dirimet? Necessitate fatali, cujusque partis principia ipsi Mundo coeva sunt, cujus motus & effectus alii oriri non possunt, quam oriuntur, nisi compage Mundi ipsius mutata, cujus partes, & motus omnes concatenatione aeterna tenentur, & devinciuntur, ad quam ponendam & conservandam Deus per necessitatem naturæ suæ determinatus fuit. Vi ejusmodi concatenatio-

(a) Dissert. de mente humana Sect. III. num. 48.

tionis, effectus suos necessario sortientis, Britanni inducentur, ut illusterrimo Newtono, Germani, ut celeberrimo Leibnitio hanc gloriam imputent. Sed quid dico, gloriam? Tali titulo nihil est levius, fallacius, contemptibilius. Fingat sibi meus Lector hominem, qui eadem nocte duas arbores ex Indiis allatas, jusserit & curaverit plantari, alteram quidem in horto sagacissimi Britanni, alteram in horto acutissimi Germani. Inde dua gentes acerrimis inter se pugnabunt scriptis, quarum illarum arborum ante mediam noctem, quae post mediam, terra immissa fuerit. Sapientia divina quis dignum censere poterit (nisi fatali necessitate ad iudicium tale ferendum abripiatur) automata condidisse, & movere, quae maximo cum tumultu, livore, atque odio talem controversiam agitent. Ea vero, de qua litigatur, non minus vana est. Ex causarum aeterna, & immutabili serie evenit, ut tandem cerebro hujus, aut illius certa quaedam impressae fuerint figurae, & a manibus ejusdem manarint certi quidam characteres, quae figurae, qui motus, qui characteres pariter locum habuissent, & in publicum emanassent, etiamsi nulla mens comes fuisset talium manuum, taliumque cerebrorum, quorum effectus nulla intelligentia direxit, nisi aeterna sola omnium automatum, & automaticorum motuum origo, eaque necessaria. Non est igitur, quod laudemus, & suscipiamus eos, qui nihil fecerunt, sed aliunde in se cadentes impressiones, quas declinare ipsis impossibile erat, necessario receperunt. Non est, quod eorum libertati, & generositati gratias agamus pro luce communicata. Non est, quod de eorundem obscuritate, laconismo, & in effundendis opibus parcimonia queramur. Fecerunt, quodcumque facere poterant, aut potius, cum nihil possent, a causis externis adducti sunt eo, quo pervenere (a). Celeberrimus Gravesandus, diversarum sententiarum de conjunctione mentis cum corpore comparatione instituta, & aequa rationis lance expensis, probeque consideratis momentis, quibus singulae innituntur, ubi ad haec omnia, inquit, attendo, nulla ratio me movere potest, ut ad harmoniam praestabilitam confugiam. Miror magni Viri, qui hanc excogitavit, ingenium; sed conclusio mihi non valida apparet, quae ex comparatione superius memorata infert, non sapientia Divina dignum esse assistentiae systema. Cadente autem hoc fundamento, hypothetica mihi videtur harmonia praestabilita (b). Petrus demum de Bayle tot affert (c) momenta contra hanc hypothesim, ut dubium sit nemini, quin illius fuerit hostis ex animo. Neque enim ab amplectendo Leibnitiano

pra-

(a) Dissert. de mente humana Sect. III. num. 47.

cap. 16. §. 168.

(b) Introduct. ad Philos. lib. I. p. II.

(c) Diction. Critic. artic. Rorari

præstabilitæ harmoniæ systemate ipsum retraxit offendendæ pietatis timor, cum, ut omnibus notum est, adeo in opinando ille sit liber, ut hac in parte nullis se limitibus coerceri patiatur. Itaque, si ipsum audiamus Volfium, dicendum est, Viros adeo eximios, quia eorum palato non arrisit *præstabilitæ harmoniæ* systema, hebetiores fuisse ingenio, quam ut philosophicam scientiam capere possent; eos non assentiri veritati ob rationum evidentiam, sed omnem ipsorum assensum nitrationibus extrinsecis, & præjudiciis, quæ a prima hauserunt ætate; & si vel maximam veritatem fassî aliquando sunt, minusque probabili probabile prætulere, id non ideo contigisse, quod veritatem, qua talem, agnoverint, probabilitatemque introspexerint, sed quia talibus rationibus permoti adductique fuerunt, quæ, casu ita ferente, eosdem ad contrarium firmiter tenendum, & pertinaciter defendendum poterant movere. Nihil quoque mirum, si arbitrati iidem fuerint, hoc systema, inoffensa pietate, haud posse defendi. Cum enim illi, si stemus Volfii iudicio, mente fuerint hebetiores, quam ut philosophica veritas intelligi ab ipsis potuerit, non est, quod miremur, si infirmiores quoque fuerint, quam ut, sine timore errandi in fidei morumque doctrina, tam eximio systemati potuerint patrocinari. Hæc enim infirmitas, ut summus ille *harmonista* quasi ex tripode definit, ab hebetudine mentis proficiscitur. Tam honorificum ergo de Viris adeo eximiis ferendum a nobis iudicium est, si pro tutando *præstabilitæ harmoniæ* systemate unum Volfium velimus audire, ejusque doctrinam amplecti. Miretur tamen nemo, si, qui *harmonistis* adversantur, hebetiores, quam ut philosophicam scientiam capere possint, censeat Volfius. Hujusce quippe sententia, quemadmodum extra limites evagari censerentur Mathematici, qui res fidei ex Geometria confutandas aggredierentur, ita non minus cancellos egrediuntur Theologi, & Concionatores, qui de quæstionibus ad Scientiam naturalem spectantibus, & Geometria, ac Optica ignororum captum longe superantibus, ex Scriptura Sacra, quæ nihil earum rerum docet, decretoriam sententiam PROTERVE pronuntiant. Et quasi hæc tam præclara doctrina non sufficeret ad ostendendam tanti Viri indolem atque modestiam singularem, addit: exemplo sunt Lactantius, atque Augustinus, quorum ille de rotunditate telluris, hic de antipodibus PUERILITER ADMODUM locutus, etsi uterque Scripturæ quedam verba in favorem hypotheseos, oppido falsa, adduceret (a). Quam porro audax, atque falsum sit hoc Volfii iudicium, non est, cur dicam. Moneo solum, eos, omnes, qui exuto omni pudore, dejicere Augustinum de

acqui-

(a) Elem. Astron. §. 627. Genevæ 1735.

acquisti splendoris, & dignitatis culmine conati sunt, nihil minus quam temerarios hucusque habitos merito esse, semperque fore, & jure quidem optimo, ut habeantur (a).

ANIMADVERSIO II.

280. Ostenso, quomodo, qui hebetiores sunt infirmioresque, se gerere debeant, cum de explicando mentis cum corpore commercio res illis est, doctrinam hanc suam, Kepleri auctoritate, ita confirmat illustris Auctor, *Sequimur hic*, inquit, *Keplerum, virum sagacissimi ingenii, & acuminis prorsus singularis, qui cum introductione ad Commentarios de motibus stellæ Martis causam Copernici pro virili egisset, & systema ejus ab objectionibus vindicasset, quibus ab antagonistis onerabatur, tandem ita concludit: Qui hebetior est, quam ut astronomicam scientiam capere possit, vel infirmior, quam ut, inoffensa pietate, Copernico credat, ei suadeo, ut, missa schola astronomica, damnatis etiam, si placet, Philosophorum quibuscunque placitis, suas res agat, & ab hac peregrinatione mundana desistens, domum ad agellum suum excollendum se recipiat, oculisque, quibus solis videt, in hoc adspectabile cœlum sublatis, toto pectore in gratiarum actionem, & laudes Dei Conditoris effundatur, certus se non minorem Deo cultum præstare, quam Astronomum, cui Deus hoc dedit, ut mentis oculo perspicacius videat, quæque invenit super iis Deum suum & ipse celebrare possit & velit. Hoc Kepleri monitum tanto confidentius inculco, quanto evidentior est identitas rationum, cur anti-Copernicani systema Copernicanum, & anti-harmonista systema harmoniæ præstabiliæ oppugnent. Sumunt enim vulgo ante-Copernicani quietem telluris, & motum Solis circa eandem, vitio subreptionis, tamquam experientiæ consentanea, & ideo Copernicanum systema Scripturæ adversum pronuntiant. Sumunt vero etiam anti-harmonista influxum physicum animæ ac corporis in se invicem, tamquam experientiæ consentientem, eodem vitio subreptionis, & ideo verbis Scripturæ sacre sensum notionibus suis respondentem tribuunt. Eadem igitur de causa anti-Copernicani Copernicanos, & anti-Harmonista Harmonistas impietatis insimulant. Miraremur vero, quod vitium subreptionis in systemate de motu Solis diurno agnoscentes, in idem tamen incidant in systemate influxus physici, nisi nobis abunde constaret, fieri posse, ut in Metaphysicis cæcutiat, qui lynceus est in Mathematicis. Enimvero dum equos*
Phil Ment. T. II. V nos

(a) Ludov. Antonius Muratorius in præf. ad opus de moderamine ingeniorum.

nos præbemus hebetioribus, ac inferioribus, nemo sanus inde colliget, quasi propria causa diffidamus, & periculum systematis harmoniæ præstabilitæ tacite confiteamur. Qua enim, quæso, consequentia id excuspetur? Philosophi non est sibi placere, emendicato eorum assensu, quos suo stare non posse judicio optime novit. Veritas enim non multitudine idem sentientium, sed rationibus triumphat, juxta illud vulgatum: multitudinem errantium non parere errori patrocinium (a). Hæc Volfio, ut præclaro suo systemati auctoritatem conciliet, sed irrito prorsus conatu. Non enim verbis, sed argumentis, & rationibus oportet, inquit Tullius, quare quidque ita sit, docere (b). Misso propterea Kepleri monito, quod judicis cujusque in sua causa judicium sit suspectum, miror in primis, tanto confidentius id inculcari a Volfio, quanto evidentior, ait ipse, est identitas rationum, cur anti-Copernicani systema Copernicanum, & anti-Harmonistæ systema harmoniæ præstabilitæ oppugnant. Miror, inquam; etenim nisi argumenta, quibus Solis quietem, & telluris motum Copernicani demonstrare nituntur, majoris sint ponderis, atque ea sint, quibus Volfius præstabilitæ harmoniæ hypotheseos ostendisse se putat, non est profecto, cur Copernicani de suo systemate nimis gloriantur. Tam longe quippe a vero est, ut præstabilitam harmoniam demonstraverit Volfius, quin potius, ne quidem levissime eam suavis, dicendum jure optimo videatur. Itaque dum harmonistis, paritate ex systemate motæ telluris desumpta, prodesse vult Cl. Auctor, Copernicanis non parum officit, ansam scilicet præbens nonnemi opinandi, sicuti harmonistarum, ita & Copernicanorum hypotheseos dignam esse, quæ inter aniles fabulas numeretur. Sumunt vulgo anti-Copernicani, ait ille, quietem telluris, & motum Solis circa eandem, vitio subreptionis, tamquam experientia consentanea; & ideo Copernicanum systema Scripturæ adversum pronuntiant. Igitur, judicio Volfii, dubitandum non est amplius, quin sacra Scriptura, cum ait, Solem moveri, & terram quiescere, intelligenda sit non de motu & quiete reali, sed tantum apparenti. Falluntur enim, si ipsum audiamus, vitio subreptionis, qui Copernicanum systema Scripturæ adversum pronuntiant. Vellem itaque scire a tanto Viro, quonam loco ostensum ea evidentia ab ipso fuerit, terram reipsa moveri, & Solem quiescere, ut ejus ratio digna jure ac merito sit, quæ pro demonstratione adeo a Copernicanis optata, sed nondum inventa, habeatur. Argumenta, quibus Copernicanum systema in suis Astronomiæ elementis evincere ille nititur (c), ea ipsa sunt, quibus

(a) Psychol. ration. in not. ad §. 640.

(b) Lib. II. de Divinatione cap. 11.

(c) Elem. Astron. §. 622. Genève 1735.

bus etiam ante Volfium Copernicani urebantur. Hæc autem non esse hujusmodi, ut nos cogant a literali divinarum Scripturarum sensu recedere, norunt omnes, qui verum amant, ipsumque candide fateri non dedignantur. Ergo perperam subreptionis vitio eos peccare, ait Volfius, qui, Copernicanum systema divinæ auctoritatis adversari, contendunt. Unum hac super re ei oppono Sturmium. Is enim, licet ejusdem cum illo fidei, attamen hypothesim terræ quiescentis sacris literis consonantiorē esse testatur, quidquid in contrarium dicant, qui Copernicano systemati viribus nervisque omnibus patrocinantur. *Si Scripturam, inquit, hic audiendam in conscientia sua persuasus quis sit, is tutius ac prudentius Tychonica vulgatiore accedet, utpote literæ ipsi S. Codicis sine dubio consonantiorē, quidquid etiam Copernicanorum nonnulli contradicant* (a). Absit tamen, ut hæreseos, vel impietatis notam Copernicanis inurendam velim. Nondum enim rem hanc definivit Ecclesia, ad quam divino jure spectat, de genuino S. Scripturæ sensu judicare. Id unum monuisse, satis hoc loco mihi est, nonnisi temere subreptionis vitio insinulari eos posse, qui ajunt, demonstrationem, qua apertum plane fiat, ad vulgi captum loqui Scripturam, cum Solem moveri asserit, & terram quiescere, adhuc esse in votis; quemadmodum temeritatis culpa, meo itidem judicio, non vacat, quisquis sentit cum Volfio, pro infirmioribus eos esse habendos, quibus persuasum non est, a Deo permitti, ut Scripturam in nonnullis non intelligant, qui ad eam interpretandam Ecclesiæ præsciuntur (b). Pergit porro Cl. Auctor. Sumunt, inquit, *anti-harmonistæ influxum physicum animæ, ac corporis in se invicem tamquam experientia consentientem eodem vitio subreptionis; & ideo verbis Scripturæ sacræ sensum notionibus suis respondentem tribuunt.* Sed quam turpiter etiam hoc loco hallucinetur Vir Cl., satis ex hæcenus traditis apertum puto. Sumitur ab *anti-harmonistis* mentem a corpore, & corpus a mente in suis functionibus exercendis re ipsa dependere; quia tanta certitudine nobis constat, mentem passionibus corporis affici, & corpus, quoad plures suos motus, voluntatis imperio subjici, quanta notum cuique est, se cogitare, & vivere. Hoc unum est, quod tamquam experientiæ consentaneum sumunt *anti-harmonistæ*, quodque ajunt, etiam a divino sacrarum literarum oraculo apertissime tradit. Si vitio subreptionis tunc peccant, illis errorem auferat Volfius, demonstrando scilicet, neque mentem a corpore, neque corpus a mente, licet contrarium experientia ipsa

V 2

evin-

(a) *Mathesis juvenilis* Tom. II. *Scient. Cosmic. Sect. III. c. 4. n. 16.* Norimbergæ 1716.

(b) *Elem. Astronom. §. 629.* edit. laudatæ;

evincat, dependere. Sperant tamen, nunquam fore, ut demonstrationem hanc exhibeat Cl. Auctor; quippe *dependentia hac adeo obvia est*, ipso teste, *ut nemo eam in dubium vocare audeat* (a). Subreptionis itaque vitio eos peccare, qui ajunt *harmonistarum* systema divinis literis adversari, unus ipse sentiat Volfius. Mihi certa sententia est, & erit semper *præstabilita harmonia* hypothesim a Viro catholico, salva religione, non posse defendi. Contrarium non dicat tantum, sed rationibus evincat harmonista ille summus, eaque diluat, quæ objecimus ipsi, & tunc candide ingenueque fatebimur, nos in hoc tam præclaro damnando systemate subreptionis vitio peccasse. Addit: *mireremur, quod vitium subreptionis in systemate de motu Solis diurno agnoscentes, in idem tamen incidant in systemate influxus physici, nisi nobis abunde constaret, fieri posse, ut in Metaphysicis cœcutiat, qui lynceus est in Mathematicis*. Verum, si non miratur Vir doctissimus, quod Copernicani damnent in Tychonicis illud ipsum subreptionis vitium, in quod incidunt, cum de explicando mentis cum corpore commercio res illis est; si, inquam, non miratur, propterea quia probe jam sciat, plerumque contingere, ut cœcutiant in Metaphysicis, qui mathematicas, quantumvis abstrusas, veritates nitidissime perspiciunt; mirantur ex adverso, & quidem vehementer *anti-harmonista*, ipsum Volfium in iis rebus, quas putat, profundius quam hucusque factum a nemine sit, se fuisse rimatum, tam enormiter cœcutisse. Mirantur nempe, quod Vir adeo acutus non viderit, ne quidem probabiliter ab se ostensam fuisse hypothesim, quam perinde prorsus atque de cœlo lapsam, luceque meridiana clariorem, mirifice supra ceteras extollit adeo, atque commendat. Mirarentur tamen adhuc vehementius, nisi optime scirent, hoc vitium iis omnibus esse commune, qui, ob nimis honorificam de se, sui que ingenii præconceptam opinionem, sibi persuasum habent, *omnes ipsorum cogitationes, omnes sententias esse tam claras, tamque evidentes, ut illa proposuisse, ad assensum & fidem a quovis extorquendum sufficiat* (b). Postremo, dum aquos, inquit, nos præbemus hebetioribus ac infirmis, nemo sane inde colliget, quasi propria causa diffidamus, & periculum systematis harmonia præstabilita tacite confiteamur. At fallitur Vir doctissimus. Nemo erit, qui hinc occasionem sumat ipsum irridendi, quasi videat & ipse, *præstabilita harmonia* systema fictitiis inniti principiis, sufficienti rationi destitui, &, salva Catholica fide, stare non posse. Nullus est enim, qui ignoret, res suas quanti is faciat, qui nimis alte de seipso

fen-

(a) Psychol. empir. in not. §. 57.

(b) Auctor *Artis cogitandi* P. IV. cap. 200.

sentit. Certo tamen sciat, nullam nos ei gratiam habere, quod nobis hebetioribus atque infirmis æquum, ut ait, sese præbuerit; quippe etsi aliter sese exhibuisset, dixissemus adhuc cum laudato Viro Cl. Petro de Crofa: *Et sunt, qui se non deridendos putant, cum irrident, qui ejusmodi somnia (præstabilitæ scilicet harmoniæ principia, ipsamque hypothesim, mirari dedignantur! Ægro igitur ne ferat animo Cl. Auctor, si ipsum monuero, ut quod nescit, se nescire fateatur, neque id, quod nondum didicit, docere moliatur (a). Ceterum, si quis harmonistarum fuerit, cui non plane grata hæc sint, parcat machinæ vi sui tantummodo mechanismi ita scribenti, neque secus scripturæ, quamvis nullo administraretur consilio, nullaque ratione dirigeretur.*

S E C T I O Q U A R T A .

Ostenditur, quid de causa commercii mentis cum corpore sentiri probabiliter possit.

281. **Q**UAMVIS, ut egregie more suo advertit Tullius (b), facilius sit falsa convincere, quam vera invenire, idque potissimum, cum commercii, quod mentem inter atque corpus est, causa quæritur, non propterea inquisitionem hanc prætermittere prorsus debemus, aliorum hæc super re opiniones impugnasse contenti. Eodem qui teste Tullio, *quærendi defatigatio turpis est, cum id, quod quæritur, sit pulcherrimum (c); & indagatio ipsa rerum tum maximarum, tum etiam occultissimarum habet oblectationem, adeo nimirum ut, si aliquid occurrat, quod verisimile videatur, humanissima compleatur animus voluptate (d). Dicam ergo, quæ possit esse tam eximii phænomeni causa. Dicam autem: sed ita, nihil ut affirmem; quæram omnia, dubitans plerumque, & mihi ipsi diffidens (e). Neque enim inter nos, & eos, qui se scire arbitrantur, quidnam interest, nisi quod illi non dubitant, quin ea vera sint, quæ defendunt; nos probabilia multa habemus, quæ sequi facile, affirmare vix possumus (f). Itaque*

*Expenditur,
cur in rerum ideis producendis humana mens a corpore dependeat.*

282. Nonnulla hic, principiorum instar, assumimus tamquam certæ.

Phil. Ment. T. II.

V 3

ta,

(a) Augustin. lib. I. de anima, & ejus origine num. 26., alias cap. 16.

(d) Lib. IV. qq. Academ. cap. 41.

(b) Lib. I. de natura Deorum cap. 32.

(e) Tullius lib. II. de Divinatione cap. 3.

(c) Lib. I. de Finibus cap. 1.

(f) Idem lib. IV. qq. Academ. cap. 3.

ta, quæ, cum de *idearum origine* res nobis erit, ostendemus.

HYPOTHESIS I.

283. Humana mens, vi sibi congenita, ita rerum omnium ideas in se producit, ut ad nullam prorsus per suam essentiam sit determinata. Veritas huiusce hypotheseos satis etiam ex iis patet, quæ contra *automaticam* mentis humanæ vim *harmonicis* objecimus.

COROLLARIUM.

284. Hinc *humana mens extrinseco indiget determinante, ut unius potius, quam alterius rei ideam in se producat*. Nihil est enim sine *ratione sufficienti*, cur illud potius ponatur, quam non ponatur (P. I. §. 130.).

HYPOTHESIS II.

285. Ex immutatione organorum sensoriorum corporis a rebus sensibilibus facta, producitur in cerebro certa quædam motio, per quam, veluti per ignem, res ipsa exprimitur. Patet ex *Physica*

SCHOLIUM.

286. Imago rei sensibilis facta in cerebro ex organorum sensoriorum immutatione, *phantasma* nuncupatur.

HYPOTHESIS III.

287. Quamdiu mens copulata est corpori, determinatur a *phantasmate*, veluti ab *objecto*, ad unius potius, quam alterius rei sensibilis ideam producendam.

COROLLARIUM I.

288. Cum nullius rei ideam producere queat mens, nisi determinetur (§. 284.), *nullius rei sensibilis potest mens, quamdiu unita est corpori, ideam producere, nisi illius rei imago, sive phantasma, in cerebro producatnr, vel quod antea productum fuerat, iterum excitetur.*

COROLLARIUM II.

289. Nullius sensibilis rei idea potest ab humana mente, quam nisi corpori copulata est, in se produci, nisi certa quadam motu in cerebro contingat. Etenim phantasma nihil est aliud, nisi motus quadam facta in cerebro ex appulsu illius rei, quæ per ipsum phantasma exprimitur (§. 286.).

COROLLARIUM III.

290. Cum phantasma sit veluti imago illius rei, ex cuius appulsu producit (§. 286.), dependet mens a corpore, quamvis illi juncta est; in sensibilibus rerum ideis producendis, quatenus, corporis ministerio, præsto sunt menti ea rerum imagines, quarum ideas mens ipsa producit. Quamobrem

COROLLARIUM IV.

291. In sensibilibus rerum notionibus producendis non dependet mens a corpore, nisi quatenus in hoc negotio dependet ab objecto. Rerum quippe imagines, quæ elaborantur in cerebro, gerunt vicem rerum ipsarum, atque adeo objecti.

COROLLARIUM V.

292. Dependētia mentis a corpore in producendis sensibilibus rerum ideis, non efficit, corporeæ naturæ censeri ipsa mens vel probabiliter possit. Cum enim mens non dependeat a corpore in producendis ideis rerum sensibilibus, nisi quatenus dependet a rebus ipsis, sive ab objecto (§. 291.) vel nulla substantia cogitans finita esset spiritualis, si mens humana ob hanc dependētiā censenda esset corporea, vel istiusmodi dependētia nullatenus impedit, quominus ipsa mens immaterialis naturæ censetur. Dixi, nullam substantiam cogitantem finitam fore spiritualem, si dependētia humanæ mentis ab objecto corporeo in illius producenda idea prohibeat, ne spiritualis naturæ censeri legitime possit. Arbitror enim, nullam esse substantiam cogitantem finitam, quæ, ut sensibilis rei ideam producat, ab ipsa re, tamquam ab objecto, non dependeat.

COROLLARIUM VI.

293. *Dependentia mentis a corpore in sensibilibus rerum ideis producendis, non evincit, mentem ipsam ejus esse naturam, ut sejuncta a corpore cogitare minime possit.* Enimvero, cum mens non dependeat a corpore, cui juncta est, in sensibilibus rerum ideis producendis, nisi quia dependet ab objecto, quod, illius ministerio, ipsi menti præfens efficitur (§. 291.), non alia potest esse ratio, cur illa dependentia impediatur, quominus, mens sejuncta a corpore cogitet, nisi quia sine corpore fieri nequeat, ut objectum, circa quod versetur, debite illi præfens existat. Falsum est autem, necessario requiri corpus, cui jungatur mens, ut ei debitæ præfens fiat objectum, quod percipiat. Sequeretur enim, nullam substantiam cogitantem finitam, nisi alicui corpori jungeretur, posse sensibilibus rerum ideas producere; cum nulla nimirum sit, quæ objecto opus non habeat, ut cogitet. Ergo dependentia mentis humanæ a corpore in producendis sensibilibus rerum ideis non evincit, mentem ipsam talis esse naturæ, ut, nisi corpori juncta sit, cogitare non possit.

S C H O L I O N.

294. *Tantum abest, ut dependentia mentis a corpore evincat, ipsam, a corpore separatam, cogitare minime posse, quin potius, si penitus inspecta res fuerit, contrarium apertissime colligatur.* Mens copulata corpori ideas rerum producit, quia rerum ipsarum imagines in cerebro depictas attingit. Ergo potest attingere etiam res ipsas in se, sive illarum ideas producere, si ipsæ res eo modo præfentes *immediate* eidem menti fiant, quo illarum imagines in cerebro coram eadem existunt. Non enim huic officit rerum *materialitas*; cum scilicet materiales sint & ipsæ imagines. Possunt autem res eo modo fieri menti *immediate* præfentes, quo eidem præfentes sunt rerum ipsarum imagines in cerebro depictæ. Ergo potest mens attingere *immediate*, sive in se, res sensibiles, earumque producere ideas, quemadmodum percipere easdem potest *mediate*, sive in imagine; ac proinde nihil impedit, quominus mens cogitet separata a corpore, si nihil prohibet, quominus corporeas rerum imagines, dum corpori juncta est, eadem ipsa percipiat.

HYPOTHESIS IV.

295. Cognitio rerum incorporearum, & insensibilium, quam acquirit mens copulata corpori, a sensibilibus cognitione ita dependet, ut illarum rerum notiones ex sensibilibus ideis, præcisionis ope, derivet ipsa mens, ac veluti excerptat.

COROLLARIUM.

296. Hinc nullius quoque insensibilis rei idea produci potest ab humana mente, quamdiu corpori juncta est, nisi aliqua motio, sive nisi aliquod phantasma in cerebro excitetur, videlicet nisi excitetur imago illius rei sensibilis, ex cujus notione idea ipsa rei insensibilis, præcisionis ope, derivatur.

PROPOSITIO I.

Phantasma nihil reale producit in anima, per quod formaliter ipsa mens ad rei ideam producendam determinetur.

297. *Probatur.* Si quid reale produceretur in humana mente a phantasmate, illud esset vel spirituale, vel corporeum. Neutrius autem naturæ illud esse potest. Non enim potest esse spirituale, cum omnis actio corporei agentis, adeoque etiam phantasmatum, si quam habet, in locali particularum motu posita sit; nihilque spirituale per localem motum corpusculorum, ut ex ipsis patet terminis, possit produci. Neque potest esse corporeum; cum repugnare videatur, ut corporeum recipiatur in spirituali, tamquam modus in re, sive tamquam accidens in subjecto. Ergo phantasma nihil reale producit in anima, per quod ad producendas ideas mens formaliter determinetur.

COROLLARIUM.

298. *Ea igitur est mentis humana vis, ea potentia, atque natura, ut ad præsentiam corporeæ imaginis in cerebro depictæ, ideam rei, quam illa imago refert, in se cudat, quin per actionem illius imaginis aliquod reale in ipsa mente producat.*

PROPOSITIO II.

Explicari nequit modus, quo ad præsentiam corporea imaginis in cerebro depicta, humana mens corpori juncta ideam rei, quæ per illam imaginem exprimitur, in se eudat.

299. *Probatur.* Explicari minime posse videtur, quomodo mens, ideas rerum ad præsentiam phantasmatis in se producat, nisi mentis ipsius naturam omnino perspectam habeamus. Vis enim productiva idearum nihil est ab ipsa mentis natura distinctum; nobisque innotescere nequit modus, quo agit causa, nisi activam illius vim omnino perspectam habeamus. Natura autem mentis nostræ non omnino nobis perspecta est. Ergo cognosci nequit, atque adeo nec explicari, quomodo mens ad præsentiam phantasmatis ideas rerum in se producat.

Expenditur,

quomodo humanum corpus in iis agendis motibus, qui voluntarii dicuntur, mentis imperio subjiatur.

DEFINITIO.

300. *Motus corporis voluntarii dicuntur illi, qui ad nutum animæ in nobis sunt. Ut enim habet Tullius, motus voluntarius eam naturam in se ipse continet, ut sit in nostra potestate, nobisque pareat (a). Sic deambulatio motus voluntarius est, cum non nisi imperante anima perficiatur.*

COROLLARIUM.

301. *Motus corporis voluntarii sunt contingentes. Sicuti enim contingenter anima vult, quod vult, ita contingens est ille motus corporis, qui ideo fit, quia ipsum anima imperat.*

L E M M A.

Corpus humanum ad nullum peragendum motum voluntarium est per suam structuram determinatum.

302. *Probatur.* Ut enim contra harmonistas demonstravimus (§.237.), motus corporis, ad quos peragendos corpus ipsum per suam structuram

(a) Libi de Fato cap. 11.

ram determinatum est, contingentes non sunt, sed necessarii. Motus autem corporis voluntarii sunt contingentes (§. 301.). Ergo nullus eorum est per corporis structuram determinatus; adeoque &c.

C O R O L L A R I U M.

303. *Aliquid admittendum necessario est, quod ad voluntarios peragendos motus corpus nostrum physice determinet.* Etenim, si secus, motus voluntarios perficeret corpus sine ratione sufficienti, cur eos perficiat potius, quam non perficiat.

P R O P O S I T I O I.

Principium determinativum corporis ad motus voluntarios est hominum intrinsecum.

304. *Probatur.* Nullum eorum entium, quæ posita extra nos sunt, ita mentis nostræ imperio subijcitur, ut, quamprimum illa vult, moveatur, viresque suas, prout eidem placet, in nos exerceat. Ergo nullum eorum ita determinare corpus nostrum ad motum potest, ut queat motus ipse nostræ mentis imperio acceptus referri; ac proinde vel determinativum corporis ad motus voluntarios nobis extrinsecum non est, vel nullus in nobis est motus corporis voluntarius.

P R O P O S I T I O II.

Corpus determinatur ab anima rationali ad motus voluntarios peragendos.

305. *Probatur.* Principium determinativum corporis ad motus voluntarios est nobis intrinsecum (§. 304.). Nihil est autem in homine, ab anima rationali diversum, ex quo determinatio ipsa corporis ad motus voluntarios defumi possit. Ergo &c.

Dices, determinari corpus a spiritibus animalibus, qui ex interiori cerebri substantia in musculos defluunt.

Contra: quia spiritus animales vel indifferentes sunt ex se ad perficiendos quoscunque motus corporis, vel sunt ad certam agendam motuum seriem ex se determinati. Si primum: quæro, a quonam principio homini intrinseco ad unum potius, quam ad alium motum determinentur. Sin alterum: ergo motus corporis non sunt contingentes, sed necessarii, perinde prorsus ac si essent per ipsam corporis structuram determinati.

Con-

Confirmatur assertio. Motus corporis voluntarii fiunt ad nutum animæ (§. 300.). Ergo determinatio corporis ad motus voluntarios derivanda ab anima est. Videtur quippe non posse fieri, ut illi motus ad nutum animæ peragantur, si corporis determinatio ad ipsos motus ab anima non oriatur.

PROPOSITIO III.

Anima rationalis, actione physica, determinat corpus, cui juncta est, ad motus voluntarios peragendos.

306. *Probat.* Determinatio corporis ad motus voluntarios est effectus realis, ut patet. Ergo haberi non potest, nisi per actionem realem. Est autem anima, quæ corpus ad motus voluntarios determinat (§. 305.). Ergo per realem animæ actionem corpus ad voluntarios agendos motus determinatur.

Confirmatur. Rejeto harmonistarum systemate, motus corporis voluntarii sunt ab anima vel tamquam a causa occasionali, vel tamquam a causa physica. Non sunt autem ab anima, tamquam a causa occasionali, ut superiori loco contra occasionalistas demonstravimus. Ergo sunt ab anima tamquam a causa physica; adeoque &c.

COROLLARIUM.

307. Igitur motus corporis voluntarii ab anima rationali realiter dependent. Ab eo enim dependent realiter, a quo per realem actionem determinatur corpus, ut illos perficiat.

PROPOSITIO IV.

Explicari nequaquam potest, quomodo corpus ad voluntarios peragendos motus physice ab anima determinetur.

304. *Probat.* Ut enim certo explicari a nobis queat, quomodo mens nostra physice determinet corpus, cui juncta est, ad voluntarios motus perficiendos, arbitror, necessario requiri I. ut animæ natura nobis perspecta omnino sit, ejusque omnes facultates plane cognitæ habeamus. Quando duos numeros clare cognitos habemus, inquit Johannes Clericus, facile est scitu, quæ summa, iis additis, exurgat, & quæ inde confici nequeat. Sed ubi alteruter plane ignotus est, quis nisi temerarius, quæ summa iis confici queat, definire auset? Similiter ii, quibus cum mentis, tum corporis ignota est natura, sine temeritate, qua

*ratione alterutrum ab altero adfici possit, aut non possit, nequeunt defini-
re (a). II. opus esse puto, ut certo nobis constet, non solum utrum mens
sit tota in toto corpore, & tota in qualibet illius parte, an vero uni
tantum illius parti præsens existat, verum etiam quomodo sive toti
corpori, sive uni parti juncta habeatur. Non enim video, quomodo,
si nos latet, tum qua ratione mens copulata sit corpori, tum in qua-
nam potissimum illius parte mens ipsa resideat, possit fieri, ut nobis
innotescat modus, quo ipsum corpus ab illa regatur. III. contendo,
insuper requiri, ut certo sciamus, quæ sit structura musculorum, &
qua ratione atque lege eorum inflatio, contractioque perficiatur.
Cum enim omnes motus humani corporis, musculorum ministerio,
fiant, moveatur nimirum corpus, quatenus muscoli inflantur, &
contrahuntur, modus lateat necesse est, quo ad nutum animæ mo-
vetur corpus, si neque musculorum structura nobis perspecta sit
neque artificium pateat, quo illorum inflatio, contractioque perfici-
ciatur. Jam vero nemo nescit, non omnino notam nobis esse men-
tis nostræ naturam. Scimus quidem, eam esse substantiam cogitan-
tem. At ignoramus, an tota illius essentia ita in sola facultate co-
gitandi posita sit, ut nulla prorsus alia ipsi menti insit potentia. Con-
cedimus, inquit Cl. Gravesandus, remota cogitatione, nullam superes-
se ideam mentis. Sed ratio hac est, unicam hanc proprietatem mentis no-
stræ nobis notam esse; non tamen inde sequitur, non alias dari in ipsa
substantia ignota mentis proprietates, quæ sine præsentis cogitatione sub-
sistere possunt. Per foramen video aliquid, quod rubrum est, & de quo
nihil præterea determinare possum; an inde sequitur, essentiam hujus rei
esse rubrum colorem; quia remota hac idea, nihil de objecto in mente
superest? Distinguere enim debemus inter objectum ideale, id est, illud,
quod nos de objecto in mente habemus, & objectum extra nos existens,
cujus nunquam in omnibus ideale objectum est representatio, nisi exactis-
sime nobis notum sit illud, quod representatur (b). Constat quoque,
modum, quo mens corpori jungitur, tanta involutum esse caligine,
ut inter obscurissima naturæ arcana jure optimo censeatur. Modus,
quo corporibus adherent spiritus, & animalia fiunt, omnino mirus est, in-
quit S. Augustinus, nec comprehendi ab homine potest (c). Ecquis est
enim, qui explicare possit, quomodo fiat, ut spiritualis substantia
ita alligata sit corpori, ut illi imperare quidem valeat, verum ab eo,
quando vult, haud possit discedere? Mihi certe, ut loquar cum Tul-
lio,*

(a) *Pneumatol. Sect. I. cap. 6. num. 14.*(c) *Lib. XXI. de Civitate Dei cap. 10.*(b) *Introduct. ad Philos. lib. I. p. II.
cap. XVI. §§. 199., 20.*

lio, naturam animi intuenti, multo difficilior occurrit cogitatio, multoque obscurior, qualis animus in corpore sit, tamquam aliena domui, quam qualis, cum exierit, & in liberum cœlum, quasi domum suam, venerit (a). Quis est etiam, qui certo sciat, num totum corpus, num vero una tantum illius pars ab anima perficiatur? Nulla sane res est, de qua tantopere non solum indocti, sed etiam docti dissentiant, quorum opiniones cum tam varia sint, tamque inter se dissidentes, alterum fieri profecto potest, ut earum nulla; alterum certe non potest, ut plus una sit vera (b). Profecto, ut veterum opiniones, quas refert Plutarchus (c), præteream, Scholastici, totam in toto corpore, & totam in singulis illius partibus esse animam, dicunt. Cartesius eam in pineali cerebri glandula, veluti in suprema sede, constituit. Recentiores vero in ea cerebri parte illam collocant, ex qua, tamquam ex radice, suam nervi, sensationibus motibusque spontaneis inservientes, originem sumunt, & per univèrsum corpus propagantur. Musculorum structura non adeo demum nobis perspecta est, ut nihil super sit, quod in ea desiderare quis possit. Causa quoque, atque leges, quibus eorum inflatio, contractioque peragitur, nos prorsus latent. Incertum quippe est adhuc, num sola fibrarum inflatione, sive mutatione figuræ, intumescant muscoli, & contrahantur, ut voluit Steno: num solo impulsu spirituum animalium ex cerebro defluentium, nervosque irradiantium, quemadmodum opinabatur Cartesius: an demum ope cuiusdam fermentationis in musculo factæ, ut nuper cum Bernoullio plerique contendunt. Ergo explicari a nobis nullatenus potest, quomodo mens physice determinet corpus, cui juncta est, ad eos agendas motus, qui voluntarii dicuntur.

C O R O L L A R I U M.

309. Incertum est, num mens per seipsam immediate, num vero mediate per realem qualitatem in corpore productam, corpus ipsum determinet ad motus voluntarios peragendos. Non enim constare id nobis certo potest, nisi compertus ad evidentiam sit modus, quo corpus ab anima ad motus huiuscemodi determinetur.

A N I M A D V E R S I O I.

310. Cum modus quæritur, tum quo mens dirigitur a phantasmate.

(a) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 22.

(c) Lib. IV. de placitis Philof. cap. 5.

(b) Tullius lib. I. de natura Deorum c. 2.

tè ad unius potius, quam alterius rei ideam producendam; tum quo corpus ab ipsa mente vicissim determinatur ad motus voluntarios peragendos, tutius est, inscitiam nostram candidè ingenueque fateri, quam aliquid hac super re certo definire. Cum enim mentis nostræ aciem id plane fugiat, quod omnino perspectum habere debemus, ut modus istiusmodi nobis innotescat, definiri modus ipsi nequaquam potest, quin temere prorsus in hoc negotio mens nostra se gerat. *Nihil hic tutius*, inquit Cl. Joannes Clericus, *animo occurrit candida ignorantia nostræ professione. Certissime novimus, esse aliquam inter cogitationes nostras, & motus membrorum nostrorum nexum; quoniam hæc invicem excitant, & sibi vicissim succedunt. Verum qua ratione motus in membris excitatus cogitationem in mente procreet, & vice versa, hoc demum est, quod penitus ignoramus. Possumus quidem, conjunctionem in nobis esse inter cogitationes, & motus, contendere, ita ut sit quadam inter ea reciprocatio; sed quomodo hæc fiant, prorsus nos fugit (a).*

A N I M A D V E R S I O II.

311. Ex eo, quod modus lateat, quo tum mens a phantasmatibus in rerum ideis producendis, tum corpus a mente in voluntariis agendis motibus determinatur, non propterea negandum est, mentem a corpore in productione idearum, & corpus a mente in productione motuum voluntariorum re ipsa dependere. Non enim, quod clarum est atque evidens, negare debemus, quia, quod est obscurum, nequeamus mente complecti. *Nunquid ideo negandum est, ait S. Augustinus, quod apertum est; quia comprehendere non potest, quod occultum est? Nunquid, inquam, propterea dicturi sumus, quod ita esse perspicimus, non ita esse, quoniam, cur ita sit, non possumus invenire (b)?* Rectissime ergo Celeberrimus Gravesandus, *invicta, inquit, demonstratione constat, non mentem in corpus, neque hoc in illam, agere, ut corpus in corpus agit; sed mihi non videtur, inde concludi posse, omnem influxum esse impossibilem. Motu suo corpus non agit in aliud corpus sine resistente; sed an actio omnino diversa, & cujus ideam non habemus, in aliam substantiam dari possit, & ita tamen, ut causa effectus respondeat, in re adeo obscura determinare non ausim. Difficile certe est, influxum negare, quando exactè perpendimus, quomodo in minimis, qua mens percipit, relatio detur cum agitationibus in corpore, & quomodo hujus motus cum mentis determinatione conveniant.*

At.

(a) Pneumatol. Sect. I. cap. 6.
S. 16.

(b) Lib. de dono perseverantiæ num. 37.
alias cap. 4.

Attendo ad illa, quæ Medici, & Anatomici nos de his docent. Nihil ergo de primo systemate determino, præter hoc, mihi nondum hujus impossibilitatem satis clare demonstratam esse videri (a). Perperam ergo tam occasionalistæ, quam harmonistæ negant, mentem a corpore in rerum ideis producendis, & corpus a mente in voluntariis agendis motibus, aliquo reali modo dependere, propterea quia modus lateat, quo mens a corpore, & corpus a mente determinetur.

A N I M A D V E R S I O III.

312. Qui explicandi commercii inter animam, & corpus intercedentis causa, sumit, inquit Cl. Volfius, animam in corpus, & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorare affirmat, ei nullum de hoc commercio systema est; propterea quod nempe actionis corporis in animam non aliam habent notionem, quam quæ coexistentiæ mutationum in organo sensorio, & mente respondet; nec alia ipsis est actionis animæ in corpus notio, quam quæ volitionum animæ, & motuum in corpore, itemque nolitionis, ac cessationis motus in eodem corpore coexistentiæ convenit. Unde concludit, affirmantes mutationes in anima, & corpore coexistere, quia in animam corpus agit, & volitiones, atque nolitiones in anima, & motus atque cessationes motuum coexistere, quia in corpus anima agit, nil quicquam aliud dicere, quam mutationes in anima, & corpore coexistere in utroque casu, quia coexistunt (b). Verum parcat Cl. Auctor, si hoc etiam loco hallucinari ipsum dixerò. Fallitur enim, si animam agere in corpus, idem influxionistis esse putet, atque certas operationes mentis, & quosdam motus corporis eodem simul tempore in homine contingere. Diversa quippe illis hæc sunt, non secus atque effectus differt a sua causa. Unum enim ex altero colligunt; dicunt nempe, animam determinare corpus ad motus voluntarios; quia, cum certum sit, illud esse per suam structuram ad omnes hujuscemodi motus *passive* indifferens, adeoque principio determinante, & quidem intrinseco, ut unum potius agat motum, quam alium, indigere, inferunt, corpus ipsum physice determinari ab anima, quemadmodum, non nisi illa imperante, motus illos perficit. Non ergo mutationes in anima & corpore coexistunt per influxionistas, quia coexistunt; nisi forte placeat Viro doctissimo, ideo effectum coexistere causæ, quia coexistunt. Ceterum, si nullum, Volfii iudicio, iis hac super re est systema, qui sumunt, animam in corpus

(a) *Introduct. ad Philos. lib. I. p. 2. cap. 18. §. 258.*

(b) *Psychol. ration. §. 556.*

pus, & vicissim corpus in animam agere, modum tamen agendi ignorari affirmant, nullum, mea sententia, illis quoque systema est, qui, istiusmodi commercii explicandi gratia, sumunt, animam, & corpus esse veluti duo automata, in suis omnibus functionibus perficiendis a se mutuo penitus independentia, quin explicent hac animæ vim, tantumque corporis mechanismum quin palam efficiant. Itaque, ut prolixæ dissertationi finem imponam, dico, mentem, quamdiu corpori juncta est, dirigi a phantasmate, ut unius potius, quam alterius rei ideam in se producat; corpus vero ab ipsa mente physice determinari, ut hoc potius, quam alio modo moveatur, sed modum a me explicari non posse, quo tum mens a corpore, tum corpus a mente determinetur. Spero autem, fore neminem, qui ut verbis utar S. Augustini, insensatis me pecoribus comparet, quia hoc me nondum scire pronuntio, sed potius cautis hominibus, quia non audeo dicere, quod nescio (a).

DISSERTATIO III.

De potentiis animæ rationalis.

TRes potissimum potentias in anima rationali vulgo distinguunt Philosophi, scilicet *intellectum*, *voluntatem*, & *memoriam*. Singulas in hac Dissertatione considerabimus. Primo itaque de *intellectu*, tum de *voluntate*, postremo de *memoria* agemus.

SECTIO PRIMA.

De intellectu.

313. **M**entis potentia explicaturi, ab *intellectu* sumendum esse exordium, arbitramur. Sublato quippe *intellectu*, nulla *memoria* est, nulliusque usus ipsa *voluntas*.

DEFINITIO.

314. *Intellectus* est ea vis animæ, qua res percipimus, de illis iudicamus, unum ex alio ignotum scilicet ex noto, colligimus, nostrarumque cogitationum seriem ad verum tum inveniendum, tum aliis
Phil. Ment. T. II. X *demon-*

(a) Lib. I. de Anima, & ejus origine
 num. 26., alias cap. 16.

demonstrandum, recte disponimus. Quatuor enim sunt, ut etiam in Logica innumus, operationes animæ, quæ ad intellectum pertinere dicuntur, simplex nimirum rei perceptio, iudicium, ratiocinatio, & methodus.

S C H O L I O N.

315. *Intellectus*, quatenus distinguit verum a falso, bonumque a malo discernit, solet *ratio* nuncupari. *Ratio*, inquit S. Augustinus, *est mentis motio, ea, quæ discuntur, distinguendi, & connectendipotens* (a). Homo idcirco habere dicitur *rationis usum*, cum verum a falso, & bonum a malo valet ipse discernere.

A R T I C U L U S I.

De origine idearum.

316. **Q**Uæ sit idearum origo, non convenit inter Philosophos, Cartesius, Malebranchius, ceterique *occasionalista*, quemadmodum superiori loco diximus, nullam, ajunt, humanæ menti inesse vim, qua rerum ideas in se cudat; sed eas omnes ipsi menti communicari a Deo, occasione motuum, qui ex sensibilibus rerum appulsu in sensoribus corporis organis excitantur. Contra vero sentiunt Peripatetici. Hi siquidem habent pro re comperta, ideas rerum ab intellectu *immediate* produci, dependenter tamen a *phantasmate*, sive a corporea quadam rerum ipsarum imagine, ex organorum sensoriorum immutatione in cerebro depicta. Discrepant tamen, cum de modo agitur, quo mens a *phantasmate* determinetur. Quidam enim contendunt, mentem *immediate* determinari a *phantasmate*. Alii vero dicunt, intellectum determinari *immediate* a quadam forma spirituali, quam *speciem impressam* vocant, ab ipso met intellectu ad præsentiam *phantasmatis* in se producta. Discutimus itaque, an humana mens vim habeat producendi ideas, & undenam repetenda sit ratio, cur unius potius, quam alterius rei ideam illa producat.

H Y P O T H E S I S I.

317. Certum in primis mihi est, *ideam*, sive *notionem* rei nihil esse a certa mentis modificatione diversum. Res enim percipere dicitur

(a) Lib. II. de Ordine num. 30;
alias cap. 11.

citur mens, cum ita vel seipsam modificat, vel ab alio modificatur, ut rebus ipsis ineffabili quodam modo similis fiat.

HYPOTHESIS II.

318. Pro re certa itidem in præsens habeo, mentem nostram, congenita sibi vi, suas omnes appetitiones, & averfationes in se producere, adeo nempe ut, dum aliquid vult, vel respuit, non agatur, sed agat. Neque enim, ut satis patet ex dictis, & clarius etiam patebit, libera *libertate exercitii* esset humana mens, si, dum res appetit, vel averfatur, non ageret ipsa, sed ageretur.

PROPOSITIO I.

Humana mens, congenita sibi vi, rerum ideas in se producit.

319. Probatur 1. auctoritate S. Augustini. Putandum non est, inquit S. Doctor, *facere aliquid corpus in spiritu, tamquam spiritus corpori facienti, materiae vice, subdatur. Omni enim modo præstantior est, qui facit, ea re, de qua aliquid facit; neque ullo modo spiritu præstantius est corpus, imo præcipuo modo spiritus corpore. Quamvis ergo prius videamus aliquod corpus, quod antea non videramus; atque inde incipiat imago ejus esse in spiritu nostro, qua illud, cum absens fuerit, recordemur, tamen eandem ejus imaginem non corpus in spiritu, sed ipse spiritus in seipso facit celeritate mirabili, qua ineffabiliter longe est a corporis tarditate, cujus imago, mox ut oculis visum fuerit, in spiritu videntis, nullius puncti temporalis interpositione, formatur* (a). Ergo &c.

Probatur 2. ratione. Mens per vim sibi congenitam appetitiones, averfationesque suas *active* producit (§. 318.). Ergo in se cudit etiam rerum ideas. Cum enim tam appetitiones, & averfationes, quam rerum ideas non sint nisi certæ quædam modificationes mentis, nulla apparet ratio, cur, si appetitiones, & averfationes producere potest mens, ideas quoque rerum in se cudere eadem ipsa non possit.

Et sane, nihil prorsus opponi posse videtur contra vim productivam idearum, quod contra vim productivam appetitionum, & averfationum eodem plane modo non pugnet. Ergo vel neque suas volitiones, nolitionesque *active* elicit mens, vel rerum quoque ideas *active*

X 2

ve

(a) Lib. XII. *super Genesim* num. 33.
alis. cap. 16.

ve in se producit. Nihil porrò posse opponi contra vim productivam idearum, quod volendi, nolendique potentiam itidem non evertat, ad evidentiam, nisi vehementer fallar, constabit, si attento expendantur animo, quæ contra vim mentis productricem idearum a summo *occasionalista* Malebranchio afferuntur.

Opponit itaque Vir Cl., vim producendi ideas, quæ humanæ menti vulgo tribuitur, esse participationem divinæ potentiæ, & quidem hujusmodi, ut mentem ipsam a Deo independentem constituat; ac proinde quæ sit digna, ut pro mero humanæ ignorantia, vanitatisque figmento habeatur. *Ista*, inquit Vir doctissimus, *participatio potentiæ divinæ, quam sibi arrogat homines, ut objecta sibi representare, multasque alias actiones speciales patrare possint, participatio est, quæ independentiam aliquatenus inducere videtur, ut saltem illa participatio explicari solet. Verum sincere loquendo, illa participatio chimerica est, merum ignorantia & vanitatis humana figmentum* (a).

Verum quæro a Viro doctissimo, an etiam vis, facultas, sive potentia, qua humana mens suas volitiones, nolitionesque producit, sit talis divinæ potentiæ participatio, quæ independentiam inducat, an non. Si non: ergo neque potentia producendi ideas est hujuscemodi; cum & ipsa non sit nisi vis, qua mens sese modificat. Si vero sit participatio divinæ potentiæ: ergo vel neque vis hujusmodi in humana mente est, ne scilicet sit aliquo modo a Deo independens, vel etiam vis producendi ideas eidem menti inesse potest, quin aliquatenus a Deo independens hanc ob causam ipsa dicatur. Ceterum sicuti essentia rei cujusque est participatio divinæ essentiæ, quin idcirco creatura, quoad *realitatem* essentiæ, sit a Deo independens, ita vis producendi ideas participatio esse potest divinæ potentiæ, quin propterea ipsa mens a Deo independens censeretur legitime possit.

Instat Malebranchius: *nemo est, qui ideas esse entia maxime realia, siquidem proprietates habent reales, alias ab aliis differre, resque plane diversas representare, in dubium vocare possit. Merito etiam dubitari nequit, quin illæ sint spirituales, & a corporibus, quæ representat, longe diversa. Et vel ex hoc solo non injuria quis forsitan ambigeret, an illæ ideæ, quarum ope percipiuntur corpora, non sint nobiliores ipsis corporibus. Revera mundus intelligibilis perfectior esse debet mundo materiali & terrestri, ut infra patebit. Cum itaque quis asserit, homines præditos esse virtute formandi ideas pro lubitu, in id etiam discriminis vocari videtur, ut asserat, ipsos posse formare entia nobiliora & perfectiora mundo, quem Deus condidit. Plerique*

(a) Lib. III. P. II. de Inquirenda veritate c. 3.

que tamen, ne ad id attendunt quidem; quippe qui arbitrantur, ideam nihil esse, quia sese sentiendam non præbet; aut si illam tamquam ens quoddam habeant, ens illud ipsi videtur perquam exile & adspersandum, quoniam ipsam, statim atque menti amplius non obicitur, annihilari arbitrantur (a).

Sed contra: etenim neminem fore & ipse puto, qui vocare in dubium possit, appetitiones mentis, perinde atque rerum perceptiones, esse entia realia, nempe reales mentis appetentis modificationes. Arbitror quoque, fore neminem, qui dubitet, quin etiam mentis appetitiones sint spirituales; atque propterea a sensibilibus illis rebus plane diversæ, quas mens amore prosequitur. Igitur qui asserit, humanam mentem præditam esse potentia eliciendi appetitiones rerum sensibilibus, eo veniat necesse est, ut simul fateatur, entia produci ab humana mente posse, quæ sensibilibus rebus sint nobiliora, quemadmodum qui asserit, homines præditos esse virtute formandi ideas pro lubitu, in id etiam discriminis vocari videtur, ut asserat, ipsos posse formare entia nobiliora, & perfectiora mundo. Ergo vel id non impedit, quominus mens producere queat ideas, vel etiam prohibet, quominus mens ipsa appetitiones quoque rerum in se producat. Falsum est tamen, quod hic veluti certum assumitur, rerum scilicet ideas esse entia nobiliora, quam ipsæ res. Ideæ enim non sunt res, sed modi, non substantia, sed accidens.

Urget Cl. Auctor: sed demus, inquit, ideas nihil esse præter entia tenuissima & adspersanda; entia tamen sunt, imo entia spiritualia. Jam autem cum homines non præditi sint potentia quicquam creandi, hinc sequitur, ipsos non posse producere ideas. Nam productio idearum eo, quo explicatur, modo est vera creatio; & quamquam opinionem adeo duram mitigare, & linire conantur, dum dicunt, productionem idearum supponere aliquid præcedaneum, creationem vero nihil supponere, hoc tamen effugio nodus difficultatis non solvitur. Etenim animadvertendum est, difficilius non esse, rem e nihilo educere, quam illam producere, supponendo aliquid aliud, ex quo confici nequit, quodque ad ipsius productionem nihil conferre possit, e. g. difficilius non est, angelum creare, quam illum ex lapide educere. Cum enim lapis sit ex genere prorsus diverso a genere angeli, nihil plane inservire potest productioni angeli; verum conducere potest productioni panis, auri &c., quia lapis, aurum, panis nihil aliud sunt, præter eandem extensionem varie configuratam, & quia hæc omnia sunt materialia. Imo difficilius est, angelum educere ex lapide, quam ex nihilo, quia

Phil. Ment. T. II.

X 3

ut

(a) Lib. III. P. II. de inquirenda veritate c. 3.

ut angelus ex lapide conficiatur, quantum quidem id fieri poteſt, annihilandus eſt lapis, ac deinde creandus angelus, cum e contra ad creandum dumtaxat angelum nihil ſit annihilandum. Si igitur mens ideas ſuas producat ex impreſſionibus materialibus, quas cerebrum accipit ab objectis, idem ſemper efficit; ac ſi eas crearet, aut aliquid aque difficile, imo difficilius, efficit; cum idea, utpote ſpirituales, non poſſint produci ex imaginibus materialibus, quæ ſunt in cerebro, quæque nullam cum iis proportionem habent. Quod ſi quis dicat, ideam non eſſe ſubſtantiam, eſto; ſed tamen eſt aliquid ſpirituale. Jam autem cum fieri nequeat, ut quadratum conficiatur ex ſpiritu, quamvis quadratum non ſit ſubſtantia, ita ex ſubſtantia materiali idea ſpiritalis non poteſt formari, licet idea non eſſet ſubſtantia (a).

At in oppoſitum eſt. Nam, ſi productio idearum eſt creatio, non video, cur etiam productio appetitionum pro vera creatione haberi non poſſit. Formalis enim utriuſque actionis terminus modificatio mentis eſt. Terminus vero utriuſque totalis eſt mens modificata, ſcilicet mens cognoſcens, & appetens. Ita ergo conficitur argumentum: vel requiritur potentia creandi, ut mens volitiones, nolitioneſque eliciat, vel non requiritur. Si non requiritur: ergo neque huiuſcemodi potentia opus eſt, ut mens ideas rerum producat. Si vero requiritur: ergo aut hæc ineſt menti, ſi appetitiones ſuas elicit; & ideo non repugnat, ut hæc eadem potentia pro idearum productione mens ipſa fruatur: aut neque ſuas ipſa appetitiones producat; & ideo iners omnino ſubſtantia eſt, nulla penitus libertate idcirco donata.

Ceterum non eſt verum, ideas rerum nonniſi per creationem poſſe produci. Cum enim illæ non ſint, niſi modificationes mentis, iſtiusmodi ipſæ ſunt, ut, non ſecus atque figura, in fieri eſſe, & conſervari, quemadmodum ajunt Scholæ, ab ipſa mente, tamquam a ſubjecto, dependeant. Ad creationem autem neceſſario requiritur, ut res, quæ creari dicitur, non ſolum ex nulla præexiſtente ſui parte fiat, verum etiam ut independenter ab inhaeſionis ſubjecto producat (P.I. §. 230.). Ergo productio idearum non eſt creatio.

Fallitur porro Cl. Malebranchius, ſi putat, rerum ideas ita ab humana mente, Peripateticorum ſententia, produci, ut corporeæ impreſſiones, quas cerebrum accipit ab objectis, ad ideas ipſas pertineant, vel tamquam pars, ex qua præexiſtente fiant, vel tamquam ſubjectum, in quo recipiantur. Nullus enim Peripateticorum fuit, qui id vel ſomniaverit quidem. Quamdiu mens corpori unita exiſtit, corporeis illis imaginibus opus habet, ut rerum ideas producat, quia
licet

(a) Lib. III. P. II. de inquirenda veritate c. 3.

licet prædita sit vi producendi ideas, nulla tamen producit, nisi ab objecto, ut dicemus, nimirum vel a re, cujus ideam in seipsa efficit, vel ab aliquo, quod ipsius rei vicem gerat, determinetur. Ad rem proinde non facit, quod habet Cl. Auctor, nimirum ex substantia materiali spiritualement ideam formari non posse, sicuti nequit fieri, ut quadratum ex spiritu conficiatur. Rerum quippe ideas producere potest mens, & producit reipsa, quin earum aliqua ex re corporea fiat, quemadmodum ex nulla corporea substantia conficitur appetitio, quam mens ipsa producit.

Addit postremo Cl. Auctor: *quemadmodum pictor, quantumvis peritus, animal, quod nunquam viderit, cujusque nullam habet ideam, representare nequit, ita ut imago, quæ ab ipso expostularetur, non posset esse similes huic animali incognito. Sic homo non potest formare ideam objecti cujuspiam, nisi prius illud cognoscat, hoc est, nisi habeat de illa ideam, quæ a voluntate sua nequaquam dependet. Quod si jam habeat istius objecti ideam, certe illud cognoscit, ac proinde inutile est, ut sibi novam illius efformet ideam. Frustra igitur homini tribuitur potentia producendi ideas suas (a).*

Respondeo, inter pictorem conficientem imagines, & mentem ideas producentem ingens esse discrimen. Ad rei imaginem pingendam coloribus requiritur ipsius rei cognitio, quia talis non est pingentis corporis structura, ut illius manus valeant imaginem ipsam efficere, quin ab alio dirigantur. Contra vero ea est humanæ mentis natura, ut quamprimum res aliqua vel in se, vel sua in imagine debite præsens ipsi fuerit, illius similitudinem, ideam scilicet, in se cudere possit, quemadmodum ipsius quoque mentis ea natura est, ut ad præsentiam boni actum volitionis eliciciat, atque in illud amore feratur. Hæc porro natura mentis humanæ potest satis apte ignis exemplo illustrari. Sicuti namque ignis nullo indiget principio externo impellente, vel determinante, ut lignum sibi debitæ præsens comburat, quia ad lignum sibi assimilandum, posita debita approximatione, ipsa sua natura determinatus est; ita mens extrinseco monitore non indiget, ut rei similitudinem, quamprimum sibi debite præsens res ipsa fuerit, in se producat; quia istiusmodi quoque est ipsius mentis natura, ut posita præsentia objecti, ei non assimilari, sive illius imaginem in seipsa, instar speculi, innata sua vi nequaquam cudere minime possit.

P R O P O S I T I O II.

Humana mens ita potest rei cuiusvis ideam in se producere; ut ad nullam sit per suam essentiam determinata.

320. *Probatur.* Ut enim præclare advertit Tullius, & intimus ipse sensus in unoquoque nostrum aperte confirmat, *natura inest mentibus nostris insatiabilis quadam cupiditas veri videndi (a); & omnia, quæ volumus, nota nobis esse possunt. Nihil est enim, de quo cogitare nequeamus (b).* Ergo mens nostra ad nullam ideam producendam per suam essentiam determinata est, sed notionem rei cuiusque potest, natura sua, ex æquo in se producere. Frustranea quippe in nobis esset illa cuiusque veri sciendi innata cupiditas, si ad certam dumtaxat producendam idearum seriem esset mens nostra per suam essentiam determinata.

Confirmatur. Mens ita potest vi sua in quodcunque bonum tendere, ut ad nullum bonum finitum, ipsa sua natura, sit determinata. Ergo ita etiam potest tendere in quodcunque verum, ut nullum habeatur, cuius notionem, sive ideam, in se producere mens ipsa nequaquam possit. Omne quippe verum bonum est, & omne bonum est verum; cumque nihil appetere queat mens, nisi cognitum ab ea fuerit, aut omne verum, sive omne ens, intelligere ipsa potest, eiusque ideam cudere, aut non omne bonum potest ipsa amare. Ceterum huc quoque faciunt omnia, quæ contra *automaticam* mentis nostræ vim §. 181. & sequentibus, *harmonistis* objecimus.

C O R O L L A R I U M.

321. *Extrinfeco determinante indiget humana mens; ut unius potius, quam alterius rei ideam in se producat.* Si namque mens ad nullam certam ideam producendam intrinsecus determinata est, aliquid necessario debet admitti, quod sit ratio, cur unius potius quam alterius rei notio ab illa producat (P. I. §. 130.).

P R O P O S I T I O III.

Determinativum mentis ad ideas producendas sunt res, quæ per ipsas ideas exprimuntur.

322. *Probatur.* Omnis potentia determinatur ab objecto non solum

(a) Lib. I. 99. *Tuscul.* cap. 19.

(b) Lib. II. de *Divinatione* cap. 67.

Ium ad simpliciter operandum, verum etiam ad ita operandum, ut hunc potius, quam alium in specie actum eliciat. Vetusissimorum quippe Philosophorum effatum est, omnium deinde consensione probatum, *potentias specificari per actus, & actus per objecta*. Objectum autem potentiae cognoscitivae est res, quae cognoscitur, sive quae per ideam exprimitur. Ergo res ipsae, quarum ideas producit mens, sunt id, quod mentem ipsam ad ideas producendas determinat.

Confirmatur. Certum est, ex potentia atque objecto omnem in nobis notitiam fieri. *Liquido tenendum est*, inquit S. Augustinus, *quod omnis res, quamcunque cognoscimus, congenerat in nobis notitiam sui. Ab utroque enim notitia paritur, a cognoscente, & cognito (a)*. Cum igitur nullius rei notitia produci in nobis possit, nisi ad eam producendam mens nostra determinetur, determinatio mentis ad ideam producendam vel ex ipsius mentis natura derivanda est, vel ex objecto, quod cognoscitur, est desumenda. Nihil enim occurrit aliud, a quo recte queat haec determinatio desumi. Nequit autem determinatio mentis ex illius natura derivari; cum illa sit ad omnes ideas ex aequo intrinsecus indifferens (§. 320.). Ergo ex objecto sumenda istiusmodi determinatio est; ac proinde mens a re, quam cognoscit, ad illius producendam ideam determinatur.

PROPOSITIO IV.

Mens copulata corpori determinatur a phantasmate ad rei sensibilis ideam producendam.

323. *Probatur*. Cum enim nulla earum rerum sensibilium, quae extra nos sunt, ita praesens menti nostrae existat, ut in seipsa percipi a nobis possit; sed omnes attingantur in imagine, quae ex earum appulsu in cerebro efficitur, huiuscemodi imago, sive *phantasma*, vicem gerit ipsius rei, sive objecti. Objectum est autem, quod mentem ad ideam producendam determinat (§. 322.). Ergo mens copulata corpori determinatur a *phantasmate*, ut unius potius, quam alterius rei sensibilis ideam in se producat.

S C H O L I O N.

324. Quomodo determinetur mens ad producendas ideas rerum, quae nulla corporea imagine exprimi possunt, demonstrabitur infra, ubi

(a) Lib. IX. de *Trinitate* num. 18.,
alias cap. ultimo.

ubi ostendemus, quomodo res insensibiles a nobis cognoscantur.

PROPOSITIO V.

Nulla est species rei impressa distincta a phantasmate, per quam mens corpori copulata ad sensibilibus rei ideam producendam immediate determinetur.

325. *Probat*ur. Hæc enim species distincta a phantasmate frustranea omnino est. Sicuti namque phantasmata potest immediate intellectum determinare ad istiusmodi speciem producendam, ita determinare immediate ipsum potest ad producendam ideam. Nulla enim disparitatis apparet ratio; cum illa species non minus sit affectio spiritualis, ac sit huiusmodi ipsa cognitio. Accedit, non posse animo comprehendere, quomodo ad præsentiam phantasmatum cudere queat mens speciem rei impressam, quin rem ipsam in phantasmate prius attingat. Nulla est illa rei species, quam impressam appellant.

Dicunt, opus esse specie impressa ad rei notionem producendam, propterea quia inter ideam rei, ejusque corpoream imaginem in cerebro depictam nulla detur proportio.

Contra. Etenim, si nulla est proportio inter phantasmata, & cognitionem, nulla quoque eadem ipsa est inter idem phantasma, & speciem impressam. Hæc enim, æque ac ipsa cognitio, est spiritualis affectio mentis, ut etiam paulo antea diximus. Ergo vel neque species impressa ad præsentiam phantasmatum produci potest ab intellectu, & ideo nulla est; vel nulla est ratio, cur species ipsa ad rei ideam producendam requiratur.

COROLLARIUM.

326. *Humana itaque mens, quamdiu corpori copulata est, immediate determinatur a phantasmate ad unius potius, quam alterius rei sensibilibus ideam producendam.*

ARTICULUS II.

An dentur idea innata; num vero omnis nostra cognitio a sensibus dependeat.

327. **C**onstans fuit Democriti, & Epicuri opinio, omnem nostram cognitionem adeo a sensibus dependere, ut nulla sit,

fit, quæ illis nequeat accepta referri. *Nullam aliam causam cujuslibet cogitationis nostra opinantur isti*, inquit S. Augustinus, *nisi cum ab his corporibus, quæ cogitamus, veniunt atque intrant imagines in animos nostros* (a). Ab hisce porro minime dissentire videntur Peripatetici. Habent enim & ipsi pro re comperta, *nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, sive, ut ait Tullius, *quidquid animo cernimus, id omne a sensibus oriri* (b), Aristotele aperte docente, nihil prorsus sine phantasmate ab humano intellectu posse comprehendi (c). Contra vero sentiunt alii, contendentes cum Cartesio, non omnes nostras cognitiones suam ex sensibus originem trahere, sed earum quam plures nullatenus a sensibus dependere. Istiusmodi sunt, si illos audiamus, *idea Dei, veritatis, unitatis, entis, substantiæ*, atque ipsæ etiam *primorum principiorum* notiones. Quæ enim, inquirunt, potest esse corporea imago, per quam Deus exprimat? Quodnam phantasma, ex quo *veritatis, bonitatis*, aliorumque id genus attributorum notiones mens nostra deriver? Triplex idcirco idearum genus, ut in Logica etiam monuimus, ipsi distinguunt. Alias quippe ideas *innatas* vocant, *adventitias* alias, & alias *factitias*. Dicunt ideam *innatam*, quæ nobiscum nata est, sive, ut ipsam definit Purchotius, *quæ nobis a primo vitæ momento ad extremum, quoties attendit animus, semper præsto est, quamque sola prima causa, sive corporis, aut cujuscunque alius causa secunda subsidio, omnibus communiter impertit* (d). Ideam *adventitiam* appellant, quæ advenit animæ occasione motuum, qui ex rerum externarum appulsu in sensoris corporis organis excitantur. *Factitiam* demum vocant ideam, quæ ab ipsa mente ex aliarum unione efficitur. Expendemus itaque, num aliqua nobis insit idea a sensibus penitus independens; num vero omnis nostra cognitio ex ipsis sensibus aliquo modo proveniat, recteque deriveretur.

ANIMADVERSI O.

328. Duplici modo potest intelligi, omnem nostram cognitionem, sive ideam a sensibus dependere. Ita enim intelligi potest *primo*, ut sit sensus, nos ea tantum posse mente complecti, quæ sensibilia sunt, & quidem non nisi prout sensibilia. *Secundo*, ut velimus, nullam in nobis esse cognitionem, quæ vel *immediate* non versetur circa sensibilia, vel ex sensibilibus cognitione non proficiatur.

LEM-

(a) Epist. CXVIII. num. 27., alias
LVI. cap. 19.

(b) Lib. I. de Finibus cap. 19.

(c) Lib. III. de anima tex. 30.

(d) P. II. Metaph. Sect. III. cap. 4.
prop. 4.

L E M M A I.

Idea innata pro ipsa facultate producendi ideam sumi non potest.

329. *Probatur.* Si namque *idea innata* nihil esset aliud, quam ipsa potentia formandi ideam, videlicet si *innata Dei idea* esset facultas producendi ideam Dei, & *idea innata* entis esset potentia producendi ideam entis, atque ita de ceteris, omnium rerum ideæ nobis essent *innata*. Menti quippe non minus inest potentia producendi ideas Dei, entis &c., quam facultas producendi ideas lapidis, ligni, colorum, ceterarumque rerum, quarum ideæ vel *adventitiae*, vel *factitiae* vocantur. Hoc autem non videtur dicendum; alioquin nugatoria esset idearum in *adventitias*, *factitias*, atque *innatas* distributio. Ergo *idea innata* sumi haud recte potest pro ipsa facultate producendi ideas.

Confirmatur. Sumta enim *idea innata* pro potentia cogitandi, quæ menti congenita est, nemo potest de *innatarum idearum* existentia vel levissime dubitare. Ut enim silentio præteream, intimo sensu notum cuique esse, se cogitare, sive rerum ideas in se producere, ipsa etiam dubitatione, potentia cogitandi evincitur; cum scilicet dubitare is minime possit, qui non cogitat (*). De existentia autem *ideæ innatæ* ambigunt plurimi, neque pauci sunt, qui existentiam ipsam inficiantur. Ergo aliud est *idea innata*, aliud potentia, qua ideæ producuntur.

Præterea *innata idea* existentia suaderi ex eo potissimum solet, quod plures notiones, quæ in nobis sunt, derivari ex sensibilibus minime possint. Facta autem hypothesi, ut *idea innata* nihil sit a cogitandi potentia distinctum, hæc ratio nulla est. Explicandum quippe adhuc remanet, quomodo notiones illæ, quæ ex sensibilibus nequeunt desumi, menti adveniant. Ergo *idea innata* pro facultate, qua rerum notiones in nobis sunt, sumi recte non potest.

Dices, ideam innatam esse potentiam producendi ideam, non quidem

(*) Vivere se, & meminisse, & intelligere, & velle, & cogitare, & scire, & judicare quis dubitet? quandoquidem etiam si dubitat, vivit; si dubitat, unde dubitet, meminit; si dubitat, dubitare se intelligit; si dubitat, certus esse vult; si dubitat, cogitat; si dubitat, scit, se nescire; si dubitat,

judicat, non se temere consentire oportere: Quisquis igitur aliunde dubitat, de his omnibus dubitare non debet quæ si non essent, de ulla re dubitare non posset. S. Augustinus lib. X. de Trinitate num. 14, alias cap. 10.

dem nudam, sed speciali lumine a Deo illustratam.

Contra: quia potentia cogitandi, etiam prout speciali lumine a Deo illustrata, adhuc est potentia, & quidem ad omnes ideas ex æquo intrinsecus indeterminata. Ergo semper stat, posse quæri, quomodo ideas, quæ *innate* dicuntur, ipsa producat, sive quomodo sine corporis, alteriusve creatæ causæ subsidio, notiones *Dei*, *entis*, *substantia*, aliæque id genus, in illa excitentur. Et sane, speciale illud lumen menti congenitum vel mentem ipsam ad certas ideas producendas *immediate* determinat, vel non determinat. Si non determinat: quæro, a quonam mens determinetur, cum ideas *Dei*, *entis*, *substantia* &c. ipsa producat. Si vero determinat: quæro, cur non semper, & quidem a primo vitæ momento, notiones illæ in nobis habeantur. Posita enim *ratione sufficienti*, ponitur id, quod propter eam existit potius, quam non existit. (P. I. §. 133.).

C O R O L L A R I U M.

330. Igitur vel nulla est *idea innata*, vel non est nisi *actualis* rei *notio* a primo vitæ momento menti nostræ a Deo impressa. Cum enim istiusmodi idea sit aliud a potentia cogitandi, hæc certe idea vel nulla est, vel, si qua datur, non in alio, quam in ipsa *actuali* rei *notione* videtur jure posse constitui.

A N I M A D V E R S I O I.

331. Quonam sensu *ideam innatam* sumpserit Cartesius, an scilicet pro cogitandi facultate, num vero pro *actuali* rei *notione* humanæ menti a Deo insculpta, incertum est. Patet ex doctissimo Huetio. Ita enim hac de re Cartesium convenit Cl. Auctor: *statuit hic*, (Cartesius), *triplex esse in nobis idearum genus, ut supra jam dixi, quarum aliæ adventitiæ sunt, cujusmodi est idea Solis, quam ex conspecto Sole in se habet unusquisque; aliæ factitiæ, cujusmodi est idea Solis qualem ratiocinibus suis inveniunt Astronomi; aliæ demum nobis ingenitæ, quas naturales appellat, cujusmodi sunt idea Dei, mentis, naturarum, quæ essentia vocantur, formarum Geometricarum, axiomatum, quibus utuntur Mathematici, aliarumque rerum consimilium. Has ideas naturales, nonnunquam (*) conceptis verbis ait, nihil aliud esse, quam facultatem ipsam cogitandi, qua mens nostra pollet, & quam in Scholis actum primum cogitandi appellare solet. Continuo tamen subjicit, ideas illas esse*

(*) Epist. Tom. I. epist. 59.

esse formas cogitationum ; cogitationes vero ipsas , sive , ut vulgo loquuntur , actum secundum cogitandi a facultate cogitandi proficisci . Atque hac sane inter se pugnant . Nam , si cogitatio oritur a facultate cogitandi , differre necesse est , cogitationem a facultate cogitandi , ut id , quod effectum est , a causa . Deinde si idea est forma cogitationis , cum forma sit aliud , ac id , cuius est forma , ut anima hominis aliud est , ac homo , idea profecto aliud est , ac cogitatio . Tria igitur in eo ipso agnoscit Cartesius , quod unum idemque esse dixerat , facultatem scilicet cogitandi , cogitationem , & ideam . At idem tamen , ubi disserit de idea Dei (*), quam menti impressam gerimus , hanc a mente nostra nec effectam esse , nec effingi potuisse contendit ; verum a Deo ipso esse in mente nostra consignatam & impressam , quemadmodum & ideas axiomatum illorum , quæ habentur immutabilia & æterna . At multo etiam magis discrepant ista a superioribus . Nam si idea sunt facultas ipsa cogitandi , idea Dei est facultas cogitandi de Deo , & idea rerum cæterarum omnium sunt facultas cogitandi de rebus iis ceteris . Facultas autem illa cogitandi ad quasunque res cogitandas adhibeatur , una tamen & eadem facultas est , ut facultas pingendi sive ad pingendam arborem adhibeatur , sive domum , eadem facultas est . Unde manifeste concluditur , ideam Dei , ac reliquas ideas , quas naturales & innatas appellat , non differre ab ideis adventitiis aut factitiis ; ac idcirco cum hæc a nobis effectæ sint , & illas quoque . Deinde cum scribit alio loco (**) Cartesius , ideas illas æternas , puta axiomata illa Geometrica , in animis nostris consignari a Deo , uti leges a rege in animis eorum , qui parent ipsius imperio , aliud quid fatetur ideas , ac facultatem cogitandi . Gratificemur tamen Cartesio , sicque sententiam ejus commode interpretemur , ideam innatam , puta Dei , esse facultatem menti nostræ ingeneratam certo quodam modo cogitandi ; quo modo quotiescunque cogitabit mens , ideam Dei in mente exituram . Verum ne sic quidem se extricabit . Nam quid discrepabit idea ingenita ab idea adventitia , aut factitia ? idea enim Alexandri , quæ factitia est , poterit jure dici facultas menti ingenerata certo quodam modo cogitandi , quo modo quotiescunque cogitabit , extabit in ea idea Alexandri . Vacillat ergo tota hæc Cartesii doctrina (a) .

ANIMADVERSI O II.

332. P. Eusebius Amort Lokium reprehendit , propterea quia ,
dum

(*) P. I. princip. *Philos.* c. 15. 16., 17.

(**) *Epist.* Tom. I. *epist.* 104.

(a) *Censura Philos. Cartesianæ* cap. 3. § 9.

dum demonstrare nititur, nulla principia animis nostris esse ingenta, sive nullam dari ideam innatam, eorum sententiam Vir ille Cl. non intelligat, quos impugnat. *Illi enim, inquit, qui docent, quaedam principia lumine naturæ nota ac congenita esse, non docent, ipsam actualem cognitionem, aut ipsas species actuales talium cognitionum a Deo homini infusas esse, sed docent, habitum quemdam aliquorum primorum principiorum homini congenitum esse, sicut apibus congenitus est habitus melificandi, araneis habitus texendi, & quibusvis aliis animantibus sue artes ad finem suum, sic & homini est congenitus quidam habitus ad operationes sine suo congruas. Porro habitus ille in apibus, araneis, & aliis animantibus nec est actualis cognitio suorum objectorum, nec consistit in actuali idea sui objecti, nec consistit in pura capacitate ad acquirendam cognitionem artis, sed consistit in tali preparatione potentiarum, ut accedente actuali motione potentiarum per objectum, statim resultet actualis idea, & actualis cognitio objecti secundum omnes relationes ad artem..... Ita etiam Deus hominis ingenium si disposuit circa aliquas veritates, quæ ad directionem humanarum actionum in ordine ad finem suum in primis necessaria sunt, & quæ alias aut nullo omnino, aut nonnisi longo ratiocinio inveniri possent (a). Vides ergo, ideam innatam, Lockii iudicio, non esse actualem rei notionem menti a Deo impressam, sed facilitatem quandam nobis ab illo communicatam, vi cuius, vel levissima adhibita attentione, ea principia mente completimur, quæ nobis innata dicuntur. Itaque omnes ideæ, quæ sensuum ministerio in nobis excitantur, menti nostræ congenitæ sunt; cum omne ex congenito habitu derivari jure optimo queant. Nullo enim ratiocinio ad eas acquirendas opus est, ut patet. Nullo ergo est idea adventitia, sed omnes sunt innatæ. Quæri insuper potest, cur primo vitæ momento eæ non eliciantur ideæ, ad quas producendas nobis insitus est habitus, & facilitas communicata? Si enim extrinseca determinatio requiritur, ut producantur, ejusdem prorsus, atque ideæ adventitiæ, & ipsæ sunt conditionis. Adde, ad formandas ideas entis, substantiæ, aliasque id genus, non eam in omnibus, experientia teste, esse facilitatem, quæ esse deberet, si ex congenito habitu suam illæ originem sumerent.*

LEM-

(a) Notitia critica de Logica Neotericorum
Sect. V.

L E M M A II.

Sumta idea innata pro actuali rei notione menti impressa, nulla in nobis est idea rei innata, nisi actualis rei notio a primo vitæ momento mentis insculpta fuerit, eique continuo inexistant.

333. *Probat.* Notio, quæ a primo vitæ momento non fuit in anima, neque in illa continuo perseverat, sed modo in ea est, modo non est, tum iterum advenit, ejusdem prorsus, quoad suam originem, videtur esse conditionis, ac sit idea quævis *adventitia*. Et hanc enim non semper habuit mens, sed modo ipsam acquirit, modo ea privatur. Ergo, sumta *idea innata* pro actuali rei notione menti impressa, nulla in nobis est *idea innata*, nisi actualis notio rei, cujus congenitam ideam habere dicimur; a primo vitæ momento menti nostræ insculpta fuerit, nobisque ita perpetuo inexistant, ut ea neque privemur unquam, neque naturæ viribus privari possimus. Nulla est enim *idea innata*, si nulla sit, quæ ab *adventitia* distinguatur.

Confirmatur. Quia si *idea innata* carere interdum potest mens, eamque iterum consequi, explicandum est, non secus ac de *adventitiis*, quomodo mens eam iterum obtineat, imo quomodo menti illa primo advenerit. Nulla igitur *innatas* inter, atque *adventitias ideas* relinquitur discrimen; ac proinde nulla est *idea innata*, si pro actuali notione rei ipsa sumatur:

Dices, inter *ideas innatas*, & *adventitias* id esse discriminis, quod illæ a Deo, hæ vero ab ipsa mente producantur.

Contra. Etenim omisso, humanam mentem suis omnibus ideis extrinsecus, a Deo scilicet, Cartesianorum judicio, informari, quæro, an non nisi posita aliqua conditione, nunquam independenter ab omni conditione, *innata ideas* a Deo producantur. Si primum: ergo nullum *innatas* inter, atque *adventitias ideas* discrimen est; quippe etiam *idea adventitia*, occasione motuum, qui ex rerum externarum appulsu in nobis fiunt, menti a Deo, si Cartesianos audiamus, imprimuntur. Sin alterum: quæro, cur *innata* illæ *notiones* menti non continuo inexistant, sive cur Deus eas modo menti imprimat, modo non imprimat. Igitur pro actuali rei notione sumi nequit *idea innata* quin vel nulla sit istiusmodi idea, vel ipsa sit talis, quæ, secus atque evincit experientiâ, continuo menti obversetur eique inexistant.

PRO-

PROPOSITIO I.

Nullius rei notio nobis congenita est, sive nulla est idea innata.

334. *Probatur.* Nulla in nobis est *idea innata*, si nullius rei cognitio nobis a primo vitæ momento impressa fuerit, nullaque in mente nostra continuo perseveret ac vigeat (§. 333.). Nullius autem rei notio ita in nobis est. Ecquis enim dicere veraciter potest, se primo vitæ suæ momento *Deum, ens, substantiam, veritatem, primaque Geometria principia*, aliaque id genus, quorum notiones *innatae* dicuntur, actu novisse? Ecquis itidem est, qui velit, nos semper adeo de *Deo, de ente, de substantia* cogitare, ut harum rerum notionibus ne momento quidem temporis nostra careat mens, neque carere possit? Ergo nulla penitus in nobis est *idea innata*.

Dices, tum Platonis, aliorumque vetustissimorum Philosophorum tum omnium ferme Patrum apertam esse sententiam, congenitam nobis esse notionem Dei. Ait enim in primis Plato: *quando Deos esse asseris, cognitio quaedam forte Divina ad rem tibi conjunctam affirmandam colendamque ducit* (a). Jamblycus: *ante omnem rationis usum inest naturaliter insita Deorum notio* (b). Tullius: *quæ gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina anticipationem quamdam Deorum Cum non instituto aliquo, aut more, aut lege sit opinio constituta, maneatque ad unum omnium firma consensus, intelligi necesse est, esse Deos, quoniam insitas eorum, vel potius innatas cognitiones habemus* (c). Clemens Alexandrinus: *omnibus simpliciter hominibus, maxime autem iis, qui versantur in doctrina, & literis, instillatus est quidam Divinus influxus, unde vel inviti fatentur, unum esse Deum incorruptibilem, & ingenitum* (d). Origines: *dicendum est, insitum esse hominibus sensum Dei* (e). Demum S. Augustinus, *hæc est, inquit, vis vera Divinitatis, ut creatura rationali, jam ratione utenti, non omnino ac penitus possit abscondi* (f).

Respondeo, notitiam Dei nobis a natura insitam congenitamque nuncupari a Philosophis, atque Patribus, non quia Dei notione mens nostra, primo vitæ suæ momento, fuerit extrinsecus informata; neque propterea quia istiusmodi notio, sine ullo corporis, alteriusve creatæ causæ subsidio, in nobis excitetur, quemadmodum certe opus

Phil. Ment. T. II.

Y

est,

(a) Lib. I. de legibus.

(d) Admonit. ad Gentes.

(b) De mysteriis Aegyptiorum cap. I. edit. Lugdun. 1549.

(e) Lib. I., & IV. contra Celsum.

(f) Tract. 106. in Joannem num. 4.

(c) Lib. I. de natura Deorum cap. 16. 17.

est, ut *innata* dicatur; sed quia ea est mentis nostræ natura, atque vis, eaque mundi totius structura, rerumque præstantia, ut nullum creatum *ens* considerare possit mens, quin inferre vel invita cogatur, supremum aliquod extare numen, a quo condita hæc omnia fuerint, atque regantur. *Homo ita creatus est*, inquit S. Augustinus, *ut per id, quod in eo præcellit, attingat illud, quod cuncta præcellit, id est, unum verum optimum Deum, sine quo nulla natura subsistit, nulla doctrina instruit, nullus usus expedit* (a). Cuncta vero, quæ creata sunt, Divinitatis vestigium in se complecti, summus quoque ille novit Trismegistus, Vir scilicet apud Ægyptios ter maximus, quoniam & Philosophus, & Sacerdos, & Rex eximius fuit. Is itaque ait: *cum per Deum cuncta clarescant, per omnia rursus atque in omnibus fulget. Deus sane totius expertus invidia, per singulas mundi particulas ubique splendet, atque adeo se notum præstat, ut non intelligere modo, sed & manibus etiam ipsis, ut ita dixerim, liceat atrectare. Nam undique nostris oculis ejus obversatur, seque objicit, & inculcat imago* (b). Hinc S. Augustinus, *circumeat*, inquit, *animus tuus per universam creaturam; undique tibi clamabit creatura, Deus me fecit. Quidquid te delectavit in arte, artificem commendat; magisque si circumeas universa, consideratio concipit artificis laudem. Vides cælos, magna opera Dei sunt. Vides terram, Deus fecit seminum numeros, diversitates germinum, multitudinem animalium. Circumi adhuc cælos usque ad terram, nihil relinquant; undique tibi omnia resonant Conditorem; & ipsa species creaturarum voces sunt quedam Creatorem laudantium* (c). Patet igitur, quomodo notio Dei, licet nobis congenita nequaquam sit, *innata* dici possit. Ceterum, si verba tum Clementis Alexandrini, tum S. Augustini attento animo expendantur, perspicuum fiet, Dei notitiam, horum Patrum sententia, non ita nobis esse impressam, ut a nulla rerum consideratione plane dependeat. Ille siquidem ait, omnibus quidem instillatum esse divinum influxum, quo Deus attingitur, sed maxime iis, qui in *doctrinis literisque* versantur. Is vero docet, ignorari non posse Deum a creatura rationali, quæ jam *ratione* utatur: quod perinde est, ac si dixissent, non posse fieri, ut creatas res, *ratione ope*, ullus consideret, quin Deum agnoscat.

(a) Lib. VIII. de Civitate Dei cap. 4.

(b) Lib. de potestate, & sapientia Dei, cui titulus: Pimander.

(c) Enar. II. in pluf. 36. num. 12.

COROLLARIUM.

335. *Rerum omnium notiones, quas successive habet mens copulata corpori, naturali sua vi ab ipsa acquiruntur. Omnis enim notio, quam habet mens, aut illi congenita est, eique a Deo impressa, aut suis ab ipsa viribus acquisita. Nulla est autem notio nobis ingenua, ut modo demonstravimus. Ergo rei cujusvis notio est acquisita.*

PROPOSITIO II.

Omnis nostra cognitio non ita a sensibus dependet, ut nonnisi quæ sensibilia sunt, & quidem nonnisi prout sensibilia, a nobis cognoscantur.

336. *Probatnr. Si namque omnis nostra cognitio ita a sensibus dependeret, ut sensibilia dumtaxat, & quidem nonnisi prout sensibilia, percipere valeremus, ea tantummodo cognosci a nobis possent, & perciperentur re ipsa, quæ sensoria corporis organa immutant, atque efficiunt. Sensibilia quippe dicimus, quæ ex motione in organo sensorio ab illis facta percipiuntur. Falsum autem, ea tantum a nobis cognosci, quæ nerveas organorum fibrillas movere possunt, moventque re ipsa. Ut enim plura id genus alia, compendii gratia, omittam, evidens est, veritatem, bonitatem, justitiam, omnesque virtutes a nobis definiri, adeoque intelligi, non utique intuendo lineamenta earum, vel colores, aut quomodo sonent, aut quid oleant, aut quid in ore sapiant, aut quid contrectantibus de calore, seu frigore, mollitudine, seu duritie, lenitate, seu asperitate renuntient; sed alia quadam visione, alia luce, alia rerum evidentia, & longe a ceteris præstantiore atque certiore (a). Ergo falsum est, omnem nostram cognitionem ita sensibus dependere, ut nonnisi quæ sensibilia sunt, percipiamus.*

Confirmatur. Si enim tantum sensibilia, & quidem nonnisi prout sensibilia, cognosci a nobis possent, nulla in nobis esset, nec posset esse idea, cui corporea imago in cerebro depicta non responderet. Percipiuntur, quippe sensibilia, quatenus ex immutatione in organis sensorii ab illis facta, corporea quædam ipsorum imago in cerebro depingitur, mentique obversatur. Igitur vel nulla prorsus Dei notio in nobis est, quippe quæ per corpoream imaginem exprimi nequit,

(a) S. Augustinus lib. XII. *super Genesim* num. 6., alias cap. 3.

quit; vel nonnisi instar corporum concipi Deus a nobis potest; ac propterea non est, cur *antropomorphita*, ii nimirum, qui hominis membra passionesque Deo tribuunt, reprehendantur. Nullum est enim principium, quo convinci erroris possint, si nulla sit idea, quæ incorpoream naturam menti valeat exhibere, ac proinde qua Deus materialitatis expers exprimitur. Veritati autem plane contrarium est, nos aut nullam Dei ideam habere, aut nonnisi talem, quæ Deum ipsum corporeum referat. Ergo consonum quoque non est veritati, ea tantum, quæ sensibilia sunt, posse a nobis animo comprehendi.

C O R O L L A R I U M .

337. Falsum itaque est, *nihil esse in intellectu, quin prius fuerit in sensu*, si ita intelligatur, ut sit sensus, *nihil intelligi a nobis posse, nisi sit hujusmodi, ut sensoria nostri corporis organa afficere valeat & immutare.*

P R O P O S I T I O III.

Notiones rerum incorporearum, & insensibilium, quas habet mens copulata corpori, ex cognitione, sive ex ideis rerum sensibilibus, innata sua vi, ab illa eruntur.

338. *Probatur.* Cum enim nullius sive *sensibilis*, sive *insensibilis* rei notio nobis congenita sit, sed omnes, innata sua vi, mens nostra in se producat (§. 335.), sitque ipsa mens ad eas producendas indifferens prorsus atque indeterminata (§. 320.), aliquid dandum necessario est, quod ad rerum insensibilium ideas producendas menti inserviat, certoque modo ipsam determinet. Nihil autem est aliud, quod ad insensibilium rerum producendas notiones inservire possit menti, ipsamque veluti determinare, nisi res sensibiles; quippe quæ tantum menti præsto sunt, eique objecti instar obversantur. Ergo ex rebus sensibilibus notiones rerum insensibilium mens nostra derivat.

Confirmatur. Nulla res insensibilis *immediate* obversatur menti instar objecti. Ergo vel nulla res istiusmodi a nobis cognoscitur; vel potest mens cognitionem aliquam in se producere, quin illius detur objectum; vel ex sensibilibus rerum ideis notiones rerum insensibilium mens ipsa excerpt. Falsum est autem, nos nullam rei insensibilis notionem habere, ut patet. Falsum quoque est, posse sine objecto notionem aliquam a nobis produci. Ergo omnis notio rei insensibilis ex sensibilibus cognitione eruitur.

Ce-

Ceterum; si ad ipsas, quas habemus, insensibilium rerum notiones animum attendamus, perspicuum plane fiet, eas omnes esse istiusmodi, ut ex sensibilium rerum ideis excerptæ quodammodo fuerint, ac veluti avulsæ.

I.

339. Et quidem in primis ad universales *entis*, *substantiæ*, *causæ* &c. notiones quod spectat, evidens est, solam præcisionem requiri, ut ex rebus sensibilibus mens eas deducat. Notio *entis* est notio rei, quatenus præcise est aliquid, cui non repugnat esse. Hanc autem non repugnantiam in quavis re sensibili nobis occurrere, res est perspicua. Igitur, si plura sensibilia ita consideret mens, ut omnes negligat affectiones, quibus inter se mutuo discriminantur atque ad hanc tantummodo repugnantia negationem attendat, universalem *entis* notionem dubio procul habebit. Non fecus de notione *substantiæ* ratiocinandum est. Sensuum quippe ministerio attingimus, res plures existere, quin sint in alio receptæ; atque in huiusmodi existendi modo eas convenire, quamvis sint natura dissimiles. Notio autem *substantiæ* est notio rei, quatenus ita existit, ut in nullo sit, a quo dependeat. Ergo ex sensibilibus & ipsa eruitur, si, ceteris non consideratis, solus spectetur modus, quo reapse existunt. Postremo notionem *causæ* sibi format mens, quatenus in rebus sensibilibus deprehendit, extare aliquas ita cum quibusdam aliis connexas, ut, una posita, ponatur & altera; illa vero sublata, hæc quoque tollatur. Omnibus ergo circumstantiis, præcisionis ope, neglectis rei quoque sensibilitate præcisa, talem sibi notionem format mens, in qua duo occurrunt, quatenus præcise eorum unum ideo est, quia alterum existit. Universaliter itaque ideæ communes excipiuntur ex singularibus; quia, ut egregie explicat Cl. Huetius, *animus in rebus multis idem quippiam animadvertens, excerpit illud e multis, in quibus fuerat dispersum, & in unum colligit, atque inde ideam universalem conflat. Velut in Petro, & Joanne, aliisque hominibus singulis deprehendens, eos esse animalia ratione prædita, jam neque Petrum, neque Joannem, neque ullum singularem hominem spectans, educit illud, & componit in unum, quod multiplex fuerat, ac generalem illam & universalem conflat & confingit ideam, sibi commendat, omnem hominem esse animal rationale (a).*

Phil. Ment. T. II.

Y 3

340.

(a) *Censura Philos. Cartesianæ cap. .59.*

I I.

340. Quomodo, præcisionis ope, ideas universales ex singularibus excerpit mens, ita ex particularibus generales illas propositiones deducit, quæ axiomata nuncupantur. Nimirum cum videat, totum *A* excedere unam sui partem *a*, totum *B* unam sui partem *b*, atque ita de aliis pluribus, agnoscit, omnibus totis, licet natura dissimilibus, id esse commune, ut unam sui partem magnitudine superent. Infert propterea, proprium esse totius, quæ totum est, unam sui partem excedere; atque hinc omne totum esse majus una sui parte, & vicissim quamlibet partem, si seorsim ab aliis sumatur, minorem esse toto. Hac itaque methodo & cetera quæque axiomata inventa primo fuere, sicuti etiam nunc, si opus fuerit, inductione confirmantur.

I I I.

341. Notiones veritatis, unitatis, aliorumque id genus attributorum ex sensibilibus cognitione desumi, videtur perspicuum. Dicitur verum, quod tale est, quale esse debet, videlicet, quod suo exemplari consentit. Veritas igitur in conformitate posita est. Unam autem rem sensibilem posse alteri ita respondere, ut sibi mutuo consentiant, atque adeo conformitatem etiam in sensibilibus a nobis deprehendi, nemo ibit inficias. Ergo ex sensibilibus potest, præcisionis ope, talis notio desumi, quæ veritatem generatim sumtam menti exhibeat. Adde, quod Cartesio hac super re objecit olim Gassendus. Si veritas, inquit Vir summus, nihil aliud est, quam conformitas iudicii cum re, de qua fertur iudicium, veritas est quedam relatio, ac proinde nihil distinctum ab ipsis re, ideaque ad se relatis, seu quod idem est, ab ipsa rei idea, quippe quæ & se, & rem, qualis est, representat. Quare & non alia est veritatis idea, quam idea rei, quatenus rei conformis est, seu quatenus ideam representat, cujusmodi est, adeo proinde ut, si idea rei non innata, sed adventitia sit, idea quoque veritatis adventitia sit, non innata. Et cum id de qualibet veritate singulari intelligatur, intelligi etiam potest universaliter de veritate, cujus notio, seu idea, ut jam dictum est de idea rei, ex notionibus, seu ideis singularium eruitur (a). Eodem modo ratiocinate de unitate. Cum enim dicatur unum, quod in se indivisum deprehenditur; atque hæc indivisio etiam in sensibilibus attingatur, fit generica notio unitatis, si res sensibilis a nobis

(a) Dubit. I, in Meditationem 3.

nobis spectatur, quatenus dumtaxat indivisa in se est, ceteris scilicet omnibus, quæ nobis in illa occurrunt, plane neglectis. Quæ porro de notionibus *veritatis*, atque *unitatis* diximus, intelligi etiam facile possunt de *virtutum*, *vitiorumque* ideis. *Idea virtutis, ac vitii*, inquit Clericus, *nequaquam innatas esse hinc liquet, quod exemplis & institutione eas a parentibus, magistris, iisque, quibuscum vivimus, habeamus. Hinc fit, ut apud cultiores gentes sint magis perspicua, quam apud barbaras, utque tanta sit in humano genere circa virtutes & vitia dissensio. Ad disciplinam quidem & exempla aliorum accedat nostra meditatio necesse est, nisi velimus sapissime falli; sed hoc ipsum iudicium est, nullas neque nobis, neque aliis innatas de hisce esse ideas (a).*

I V.

342. Ad Dei postremo ideam quod spectat, considerandum est, duplici modo Deum a nobis cognosci, per *positionem*, & per *negationem*. Concipitur per *positionem*, cum Deo illa tribuuntur *prædicata* quæ in nobis, ceterisque rebus perfectionem præferunt: ut cum dicimus, Deum esse substantiam intelligentem atque volentem, præditam sapientia, omnique virtute ornatam. Concipitur vero per *negationem*, cum eas omnes imperfectiones ab illo removemus, quas in creaturis deprehendimus: ut cum Deus dicitur *ens a se*, hoc est, a nullo productum, independens prorsus, nulloque termino circumscriptum. Igitur nulla Dei notio in nobis est, quæ aliquo modo non sit ex creaturis derivata. Dei quippe notionem ex creaturis, ab eaque Deum nobis non exhiberi, nisi secundum rationes, quæ præcisionis ope ex creaturis excerptæ sunt, & per *ratiocinationem* ex illius deductæ, citra dubium est. Habemus, inquit Cl. Huetius, Dei notitiam, & manifestam quidem; *at non ex idea Dei haustam, sed ratiocinando collectam, & ex gentium omnium consensu, & ex præclaro mundi ornatu, & ordine, & ex rerum, uti, vocant, existentia, earumdemque motu, aliisque argumentis, quæ & a veteribus Philosophis, & a SS. Ecclesie Patribus feliciter sunt usurpata. Nam de ea, quam per fidem accepimus, Dei cognitione nunc quidem non agimus (b).* Verum hæc de re plura suo loco. Nunc enim paucis ostendisse sufficit, & ipsam Dei, quam habemus, ideam suam ex sensibus ortum duxisse; atque hinc nullius insensibilis rei non haberi notionem, quæ suam ex sensibilibus notitia originem non habuerit.

Y 4.

Co.

(a) *Pneumatol. Sect. I. cap. 5. §. 13.*(b) *Censura Philos. Cartesianæ cap. I V.*

COROLLARIUM I.

343. *Nulla insensibilis sive rei, sive attributi idea haberetur in anima, si nulla res sensibilis ab ea cognosceretur. Si nullam quippe rem sensibilem perciperet mens, id ei deesset, ex quo sensibilibium rerum notiones ab ea, dum corpori copulata est, derivantur.*

COROLLARIUM II.

344. *Quoniam notiones rerum insensibilium ex sensibilibium ideis, præcisionis ope, mens ita desumit, ut illa ex his, veluti partes ex toto, vi sua excerpatur, nulla insensibilis rei notio potest modo ab anima corpori copulata produci, nisi primo ea sensibilibium rerum idea in ipsa excitentur, ex quibus illa eruitur. Hinc*

COROLLARIUM III.

345. *Omnis sensibilis rei notio, quam habet mens copulata corpori, a sensibilibium cognitione necessario dependet. Unumquodque enim ab ea necessario dependet, quo sublato, nequaquam existeret. Quamobrem,*

COROLLARIUM IV.

346. *Cum certa res sit, omnem nostram sensibilibium rerum cognitionem a sensibus dependere, (cognoscuntur enim sensibilia, quatenus sensoria nostri corporis organa ab illis immutantur) relinquitur, insensibilium quoque rerum notiones a sensibus dependere. Igitur*

COROLLARIUM V.

347. *Omnis nostra cognitio dependet a sensibus vel immediate, vel mediate. Quidquid enim cognoscimus, vel sensibile est, vel insensibile. Cognitionem sensibilibium a sensibus immediate dependere, nemini dubium est. Ergo, cum notio rei cuiusvis insensibilis a cognitione sensibilibium dependeat, perspicuum remanet, illam a sensibus mediate dependere.*

COROLLARIUM VI.

348. *Ea etiam cognitio a sensibus certo quodam modo dependet, qua mens corpori unita scit se cogitare. Cum enim sciat mens, se cogitare, quatenus noscit, se aliquid cognoscere, relinquatur constare menti, se cogitare, quatenus supra rerum ideas; quas habet, se convertit, & circa illas, veluti circa objectum, ipsa versatur. A rerum ergo ideis ea itidem cognitio dependet, qua, se cogitare, noscit mens. Omnis autem rei idea a sensibus aliquo modo dependet (§. 347.). Ergo illa quoque cognitio dependet aliquo modo a sensibus, qua, se cogitare, mens nostra noscit.*

COROLLARIUM VII.

349. *Igitur etiam a sensibus aliquo modo dependet mens copulata corpori, ut seipsam cognoscat. Mens quippe, dum corpori unita est, non cognoscit seipsam, nisi quatenus scit, se cogitare. Dico, inquit Doctor Subtilis, quod anima (si loquamur de notitia, quam habet anima de se quoad hujuscemodi notitia inceptioem) notitia de se a notitia actuum suorum incipit, & notitia, quam habet de habitibus suis, a notitia actuum illorum habituum; & sic cognoscendo actum, utpote velle, cognoscit arguitive aliquid, discernendo ea esse; & postea cognoscendo naturam, & modum actuum, utpote quod actio intelligendi est immaterialis, reflexiva, & similia, arguit, potentias tales esse, & per potentias, quid sit substantia. Dum autem intellectus, quid sit, apprehendit, determinatur ad intuitionem, qua mens ab exterioribus sequestrata, & super se reflexa, se & suos habitus intuetur per speculum intellectuale, per actum fixum super essentiam animæ, & habitum (a).*

COROLLARIUM VIII.

350. *Ex hisce apparet, eam esse humanæ mentis ingenitam vim, atque potentiam, ut ex visibilibus invisibilia cernere ipsa possit, ex singularibus universalia excerpere, futura ex presentibus, & ea, que non sunt, ex iis, que sunt, colligere; ac propterea excellentioris, quam corporea quævis substantia, eam esse natura, uno verbo: ipsam esse substantiam spirituales. In corporeis namque naturis, ut egregie observat Tullius, & fuse diximus suo loco, nihil inest, quod vim memoria, mentis, cogitationis habeat; quod & præterita teneat, & fu-*

(a) De verum principio q. XV. num. 24.

futura praevideat, & complecti possis praesentia..... Singularis est igitur quaedam natura atque vis animi, sejuncta ab his usitatis nominisque naturis (a).

ARTICULUS III.

An humana mens semper cogitet.

351. **H**UMANAM mentem semper cogitare, Cartesii opinio est, eorumque omnium, qui, sicuti essentiam corporis in *actuali extensione*, ita mentis naturam in *actuali cogitatione* positam esse, contendunt. Primus tamen minime fuisse videtur Cartesius, qui de mente humana ita fuerit opinatus. Id ipsum etiam senserat Tullius; quippe qui ait: *animorum est ea vis, eaque natura, ut vigeant vigilantes, nullo adventitio pulsu, sed suo motu, incredibili quadam celeritate. Hi cum sustinentur membris, & corpore, & sensibus, omnia certiora cernunt, cogitant, sentiunt; cum autem hac subtracta sunt, desertusque est animus languore corporis, tum agitur ipse per sese. Itaque in eo & forma versantur, & actiones, & multa audiri, multa dici videntur. Hac scilicet in imbecillo, remissoque animo, multa omnibus modis confusa & variata versantur, maximeque reliqua earum rerum moventur in animis, & agitantur, de quibus vigilantes aut cogitavimus, aut egimus* (b). Auctor quoque libri *de spiritu & anima* videtur ab hac sententia neutrquam abhorruisse. Dixit enim, animam rationalem semper vivere, semperque esse in motu (c), hoc est, nunquam a cogitatione cessare. Videtur quippe non posse fieri, ut mens semper moveatur, nisi semper cogitet. Quid igitur hac super re ipse dicendum putem, unica propositione palam efficiam.

PROPOSITIO UNICA.

Incertum omnino est, num humana mens corpori copulata semper cogitet.

352. *Probatum.* Res est incerta, num humana mens corpori copulata semper cogitet, si neque satis evinci possit, eam nunquam a cogitatione cessare, neque satis possit ostendi, interdum fieri, ut plane otiosa consistat. Nulla autem adhuc habetur ratio, quae vel satis evincat, nunquam, ne in alto quidem sopore oppressis, otiosi mentem.

(a) De *Consolatione*.

(b) Lib. II. de *Divinatione* cap. 67.

(c) Cap. XIII.

rem posse, vel satis demonstrat, ipsam omni quandoque cogitatione carere, ac prorsus quiescere. Ergo reliquum est, ut inter plane dubia statuatur, mentem nostram corpori junctam semper cogitare. *Prob. minor*, videlicet neque ostensum adhuc satis esse, nunquam otiosi mentem, neque satis adhuc esse demonstratum, eam in somno ab omni prorsus cogitatione cessare.

I.

353. Ad priorem itaque partem quod attinet, contendunt, qui mentem semper cogitare putant, ex ipsa, quam habemus, mentis idea id aperte colligi. Est enim mens, inquiunt illi, substantia cogitans, quemadmodum corpus est substantia extensa. Ergo sicuti, sublata extensione, nulla corporis idea relinquitur, ita nulla est idea mentis, si illi cogitatio auferatur. Verum quam exigui momenti sit hæc ratio, ignorat nemo. Humana mens dicitur quidem, & vere est substantia cogitans; at non ita, ut sit sensus, actualem cogitationem ad illius essentiam pertinere. Assumitur enim, tamquam certum, quod in quæstione est, quodque propterea debet ostendi, si nomine *cogitantis substantia* ea veniat hoc loco, quæ actu cogitat. Mens itaque est substantia cogitans, hoc est, substantia potens natura sua cogitare. Hinc tantum abest, ut ex ipsa mentis notione evincatur, eam continuo cogitare, quin contrarium potius ex hoc capite vel manifeste appareat. Cum enim natura activæ potentiæ minime requirat, ut continuo operetur, actuali cogitatione carere potest mens, quin cogitans substantia esse tunc ipsa desinat. Profecto illa perpetuo non memorat, neque semper admiratione afficitur; & tamen memoratrix substantia est, admirandique potentia ita pollet intrinsecus, ut homo per eam, non secus ac per rationis vim, plerumque definatur. Neque valet, corpus per extensionem definiri. Etenim non actualis extensio, sed naturalis exigentia extensionis illud est, quod *essentialem* corporis *rationem* constituit. Hinc, sicuti actuali extensione privari corpus potest, quin desinat esse corpus, ita actuali cogitatione carere interdum potest mens, quin id prohibeat, quominus cogitans substantia adhuc ipsa dicatur.

I I.

354. Non dissimile iudicium de ea ratione ferendum est, qua demonstrare nititur Volfius, *animam etiam in somno producere ideam totius universi, qualem vigilans producit, sed obscuram, seu totaliter confu-*

fusam (a). Qui enim negat, animam rationalem in somno semper cogitare, dabit quidem, animam ipsam præditam esse vi sibi repræsentandi hoc universum, hoc est, producendi rerum omnium ideas; verum negabit, mentem ipsam per hanc vim ita ad idearum productionem determinari, ut fieri nequeat, quin ideas semper producat. Nulla quippe ratione ostendit Cl. Auctor, mutationes organorum sensoriorum corporis nihil prorsus ad rerum ideas producendas menti conferre. Patet ex iis, quæ diximus, ubi de *præstabilita harmonia systemate*. Demonstravimus enim, neque rationi, neque experientia esse consentaneum, humanam mentem adeo vi propria producere rerum ideas, ut nullo prorsus modo a corpore, cui copulatur, in hoc negotio dependeat; quinimo ne quidem ab ipso summo *harmonista* Volfio, quin sibimet non uno in loco contradicat, *automaticam* hanc humanæ mentis vim posse defendi. Vim itaque cogitandi habet mens, estque istiusmodi potentia ipsi essentialis. Verum, cum hæc mentis facultas sit ad ideas omnes producendas ex æquo indifferens, extrinseco determinante indiget, nempe *phantasmate*, ut unius potius, quam alterius rei idem reapse producat. Quoniam igitur in somno ita otiosi queunt spiritus animales, ut nullum ab illis in cerebro *phantasma* excitetur, contingere potest, ut nullius rei ideam tunc producat mens; & si nullam ideam, nullam quoque appetitionem, aversionemque nullam; ac proinde potest fieri, ut in somno mens nostra non cogitet. Miror porro, *vi corporis determinari vim animæ ad hunc statum universi producendum, qui momento evigilantis, respondet, eadem facilitate rejici, iudicio Volfii, qua dicitur* (b): miror, inquam; cum & ipse doceat Vir Cl., *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, quæ in corpore isto contingunt, contineri; ac propterea perceptiones rerum materialium in mundo aspectabili a mutationibus in corpore isto contingentibus dependere* (c). Videtur quippe, & hanc suam doctrinam rejiciendam penitus a nobis esse, si illa refellatur. Perinde enim mihi est, *vi corporis determinari vim animæ ad hunc statum universi producendum, qui momento evigilantis respondet, atque rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus corporis contineri; ipsamque mentem propterea in rerum ideis producendis a corpore dependere*. Quia autem quærit Cl. Auctor, quomodo probetur, *motui, qui ex organo sensorio ad cerebrum propagatur, inesse ea per quæ intelligi possit, cur anima producat ideam universi, qualem poscit momentum temporis, quo vis evigilat* (d): respon-

(a) Psychol. ration. §. 191.

(b) Ibidem in not. ad § 191.

(c) Psychol. empir. §. 57.

(d) Psychol. ration. in not. ad § 191.

spondeo, id eodem modo, eademque ratione ostendi, qua ab ipso demonstratur, *rationem perceptionum rerum materialium in mutationibus, qua in corpore contingunt, contineri (a).*

III.

355. Si a producendis ideis rerum sensibilibus cessare in somno potest mens, videtur citra dubium, eam neque circa insensibilia, neque circa seipsam sua tunc posse cogitatione versari. Ut enim satis demonstravimus suo loco, insensibilium rerum ideæ ex sensibilibus notionibus eruuntur (§. 338.): utque omnibus notum aperte est, non aliter seipsam cognoscit mens, nisi quatenus intimo sensu scit se cogitare. Patet igitur, rem non esse perspicuam, fieri non posse, ut a cogitando mens nostra interdum cesseret, quamvis perspicua res sit, mentem ipsam nunquam posse cogitandi facultate privari. Adde, quod hac super re egregie observat Clericus. *Videtur, inquit, subjectum illud, substantia scilicet mentis, sine cogitatione, ut corpus sine motu, esse posse: quod est experientia consentaneum, ut rationes a noctibus, sive in somnio transactis petita ostendunt. Ut melius hoc intelligatur, comparatione corporis, & mentis utemur, non ut argumento, sed doctrina causa. Videmus, rapidissimum motum paulatim minui per gradus varios, ita ut tandem plane desinat; corpusque in perfecta quiete remaneat. Sic quoque mentem sentimus, vividissimis ideis occupatam, attentissimam, & omnes earum partes distinctissime pervidere; paulo post minuitur vividitas idearum, attentio veluti subsidit, & confusis a mente considerantur. Jam uni ideæ non magis attendit, quam aliis, transeuntes coram se perfunctorie spectat, neque amplius uni immoratur, quam alteri, quo tempore dicimur cogitare de nihilo. Inde mens ideas prætervolantes fere negligit, ac spectare dedignatur, tum confusa apparent, & adeo leviter iis afficitur, ut vix percipiat, donec tandem torpedine quadam veluti oppressa, ne leviter quidquam animadvertat. Tunc demum præducta somni cortina spectacula omnia idearum menti intercepta. Unusquisque potest in se observare, ubi a vigilia in somnum paulatim delabitur, an non simile quiddam in se fiat. Hoc probe expenso, viderit, an malit sibi credere, quam hypothese pro arbitrio adrepta, neque ullo certo argumento suffulta. Hoc tamen possit in gratiam Cartesii dici, si mens sit sæpe sine ratiocinatione, at non esse sine sensu quopiam corporis sui; ac proinde sine cogitatione etiam in arctissimo somno. Sed quamvis*

(c) Psychol. empir. §. 57.

vis perpetuus ferme sit is sensus, attamen potest forte fieri, ut interdum eo, non minus quam ratiocinatione, careamus. Certe semper eum nobis adesse, nemo invicte probarit (a).

I V.

356. Demonstrandum modo est, eos quoque sufficienti ratione destitui, qui ajunt, mentem nostram actuali quandoque cognitione plane carere. Ad experientiam itaque provocant. Contendunt nempe, mentem non cogitare in somno, propterea quod nulla eorum, quæ tunc cogitaverimus, nobis memoria insit. Jam vero quam leve hoc idem sit argumentum, ex eo vel maxime patet, quod, hoc si detur, dandum quoque necessario videatur, nos neque in matris utero, neque cum infantes eramus, quidquam cogitasse. Ecquis est enim, qui ea omnia, quæ sua tunc gessit mens, memoria teneat? Mentem autem nostram tum in matris utero, tum in infantili corpore existentem, adeo fuisse otiosam, ut nihil plane cognoverit, rationi consonum non est. Igitur cogitare possumus, quin eorum, in quibus sumus cogitatione versati, vel levissime recordemur; ac proinde potest fieri, ut mens etiam in somnis cogitet, licet somno excussa, nequeat ne unum quidem ex iis, quæ tunc cognovit, in memoriam revocare. Adde, hanc si demus sententiam, necessario fore, ut dicamus, neque cum vigiles sumus, nos perpetuo cogitare. Non cogitamus enim arcto somno devincti, quia eo expergefatti, minime nos cogitasse recordamur: ergo neque vigilantes semper cogitamus, quia eorum, quæ complexi tunc animo fuimus, tanta plerumque in nobis oblivio est, ut ne confuse quidem in memoriam ea revocare possimus. Constat, homines, inquit Cl. Gravesandus, saepe ad illum statum reduci, & hunc aliquando per tempus satis longum durare, qui ubi cessarit, nullum omnino in mente vestigium relinquit cogitationum, quas, durante hoc statu, mens presentes habuit, si quasdam habuerit, ita ut primum & ultimum momentum hujus status, respectu mentis, confundantur. In somno profundiore aliquando, & cerebro certo modo compresso, aut vulnerato, semper hæc contingunt. Sed non inde sequitur, mentem non cogitasse; nam saepe ex signis indubitatis constat, mentem ideas presentes habuisse, durante somno, in iis ipsis occasionibus, in quibus, finito somno, nihil omnino de hisce cogitationibus superest, ita ut quis facile credat, se in hisce circumstantiis non cogitasse (b). Nulla ergo habetur ratio, quæ satis evincat, mentem nostram ab omni interdum cogi-

(a) *Pneumatol.* Sect. I. cap. 2. num. 11.

(b) *Introduct. ad Philos.* lib. 1. p. 2. cap. 15. S. 205.

cogitationē cessare; cūque nulla iridem sit, quæ, eam numquam oriri, satis demonstrat, dicendum superest, rem esse omnino dubiam, num humana mens corpori copulata semper cogitet.

COROLLARIUM.

357. *Humana mentis essentia in actuali cogitatione collocari nullatenus potest. In eo quippe statui nequit rei cuiusque essentia, de quo certi non sumus, illud esse istiusmodi, ut ipsi rei semper conveniat.*

ARTICULUS IV.

De objecto intellectus.

DEFINITIO I.

358. **O**bjectum activæ potentia, generatim loquendo, dicitur id, circa quod ipsa potentia, operando, versatur. Sic lux, atque color dicuntur *objectum visus*, sonus *objectum auditus* &c. Dividitur autem *objectum* in *materiale*, & *formale*.

DEFINITIO II.

359. *Objectum materiale* potentia est res, quæ a potentia respicitur. *Formale* vero est illa ratio in re, penes quam a potentia res ipsa respicitur. Sic corpus coloratum est *objectum materiale*; color est *objectum formale* potentia visivæ. Ab hac enim non respicitur corpus coloratum, nisi quatenus coloratum.

L E M M A.

Nullum est ens, quod ab humano intellectu nequeat aliquo modo cognosci.

360. *Probatur.* Omnia scire ita appetit appetitu innato humana mens, ut, si huiusce appetitus habeatur ratio, nihil prorsus ab se ignorari, ipsa patiatur. Certum est autem, hunc appetitum frustra nobis a natura non esse collatum. Ergo dicendum, nullum esse ens, quod a mente nostra nequeat aliquo modo cognosci.

PRO-

P R O P O S I T I O U N I C A .

Ens reale generatim ſumtum, quatenus tale eſt, ut poſſit per ideam exprimi, eſt objectum intellectus.

361. *Probatur.* Nullum eſt *ens*, quod certo modo a nobis attingi nequaquam poſſit (§. 360.). Ergo verſari poſſeſt mens noſtra circa quodcunque *ens*; ac proinde *ens reale generatim ſumtum*, eſt objectum intellectus (§. 358.).

Quod autem *ens* non ſit objectum intellectus, niſi quatenus tale ipſum eſt, ut queat per ideam exprimi patet. Quod enim reſpicitur ab intellectu, ideo ab illo reſpicitur, ut ejus notionem in ſe cudat. Ergo &c.

C O R O L L A R I U M .

362. Cum *ens* non ſit tale, ut exprimi per ideam poſſit; niſi quatenus eſt ſuo exemplari conforme, & ideo verum (P. I. §. 24.), *ens reale generatim ſumtum, prout verum, eſt objectum intellectus.*

S E C T I O S E C U N D A .

De voluntate.

363. **P**ost intellectum occurrit voluntas, ceterarum potentiarum animæ proculdubio domina atque regina. Nulla eſt enim, quæ aliquo modo non ſubſit illius imperio, quemadmodum nulla eſt hominis actio, quæ niſi ab ea dependeat, humana dicatur. Itaque

D E F I N I T I O .

364. *Voluntas eſt illa facultas animæ, qua aliquid appetimus, vel averſamur; ſive, eſt ipſa anima quatenus unam appetit rem, & alteram fugit.*

C O R O L L A R I U M .

365. Duo igitur ſunt actus voluntatis, *velle*, & *nolle*: videlicet; ſicuti *perceptio*, & *judicium*, atque *diſcurſus* ad intellectum, ita *volitio*, & *nolitio* ad voluntatem ſpectant.

SCHO-

S C H O L I O N.

366. *Voluntas solet etiam appetitus rationalis nuncupari. Dicitur appetitus, quia per eam in bonum tendimus; rationalis, quia non trahitur motibus corporis, sed ratione dirigitur.*

A R T I C U L U S I.

Voluntatis objectum determinatur.

D E F I N I T I O I.

367. **B**onum dicitur hoc loco quidquid humana natura consentaneum est, ipsamque perficit. Ut enim advertit Tullius, quicquam ne bonum est, quod non eum, qui possidet, meliorem faciat (a). Sic sapientia est bonum. Humana quippe natura adeo sapientia perficitur, ut homo, qui sapiens est, perfectissimus censeatur. Dividitur autem bonum in honestum, jucundum, & utile, sive commodum:

D E F I N I T I O II.

368. *Bonum honestum vocatur illud, quod recta rationi consentaneum est; jucundum, quod delectationem parit; utile, quod ad bonum honestum, vel delectabile acquirendum in servit. Sic sapientia est bonum honestum, simulque jucundum, atque utile. Quid est enim per Deos, inquit Tullius, optabilius sapientia? quid praestantius? quid homini melius? quid homine dignius? Hujus studium qui vituperat, haud sane intelligo, quidnam sit, quod laudandum putet. Nam sive oblectatio quaeritur animi, requiesque curarum; qua conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid acquirunt, quod spectet, & valeat ad bene beateque vivendum; sive ratio constantia virtutisque quaeritur, aut haec ars est, aut nulla omnino, per quam eas assequamur (b). Porro dividitur bonum tam honestum, quam jucundum, & utile in verum, & apparens.*

D E F I N I T I O III.

369. *Bonum verum est, quod tale est reipsa, quale nobis esse videtur; contra vero apparens, quod reipsa nobis non est bonum, licet esse videatur.*
Phil. Ment. T. II. Z dea-

(a) Paradoxon. I.

(b) Lib. II. de Officiis cap. 1.

deatur. Sic vindicta non est, nisi *bonum apprens*. Tantum enim abest, ut perficiat naturam, quin potius ei plurimum noceat. At virtus est *vero bonum*; quippe quæ non apparenter, sed re perfectionem nobis confert.

DEFINITIO IV.

370. Sicuti *bonum* est, quod perfectionem aliquam humanæ confert naturæ, ita ex adverso dicitur *malum*, quod eidem nocet. Cum enim *bonum*, & *malum* contraria sibi mutuo sint, si *bonum* est, quod nobis perfectionem affert, erit *malum*, quod nobis officit. Unde S. Augustinus, quis, inquit, dubitet, totum illud, quod dicitur *malum*, nihil esse aliud, quam *corruptionem* (a)? Porro *malum* vel *inhonestum* est, sive *turpe*, vel *molestum*, vel *incommodum*. Dicitur *turpe*, quod rectæ adversatur rationi, ut *libido*; *molestum*, quod dolorem affert, aut *tædium*, ut *febres*, *dissoni clamores*, atque *tumultus*; *incommodum*, quod impedit, ne quod appetimus, consequamur. Horum itidem quodlibet aut vere aliquo bono privat, & dicitur *malum verum*; aut tantum videtur, nobis posse nocere, & *malum apprens*, ut de bono diximus, nuncupatur.

PROPOSITIO I.

Humana voluntas ita vult bonum ut ipsum aversari, quatenus bonum est, nullatenus possit.

371. Probatur. Etenim, si nostram ipsi consulamus naturam, fateri necessario cogimur, nos ita in bonum tendere, ut nihil sub ratione *boni* se prodere nobis possit, quin naturali veluti pondere in illud abripiamur. *Beati omnes esse volumus*, inquit S. Augustinus, quod ipse quoque *Philosophi hujus sæculi, & Academici de rebus omnibus dubitantes, teste patrono suo Tullio, coacti sunt confiteri; idque unum esse dixerunt, quod disputatione non egeat, quod nemo est, qui non expetat* (b); atque, ut optime advertit Doctor Subtilis, *natura non potest remanere natura, quin inclinetur ad suam perfectionem; quia, si tollas illam inclinationem, tollis naturam* (c). Ergo voluntas nostra ita vult bonum, ut illud nequeat, quatenus bonum est, aversari. Fieri quippe neutiquam posse videtur, ut sibi metipsum contraria illa sit, seque ipsam destruat.

PRO-

(a) Contra Epistolam Manichæi n. 39. alias cap. 35.

(b) Lib. VI. Operis imperfecti contra Julianum.

(c) Super IV. Sententiarum Distin. 49. q. 10. S. præterea.

P R O P O S I T I O II.

Humana voluntas ita averfatur malum, ut ipsum velle, quatenus malum est, minime queat.

372. *Probatum.* Eodem intimo fenfu, quo experimur, nos innato quali pondere in bonum ferri, conftat quoque, nos ita averfari malum, ut, quamprimum fub ratione mali aliquid nobis apparet, congenito quodam veluti impulfu natura ipfa ab illo retrahatur. *Principio*, ut ait Tullius, *generi animantium omni eft a natura tributum, ut fe, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, qua nocitura videantur* (a). Unde S. Auguftinus dicere non dubitavit, nos ita velle efle beatos, *ut efle miferi non folum nolimus, fed nequaquam prorfus velle poffimus* (b). Ergo voluntas noftra ita averfatur malum, ut ipsum, quatenus malum eft, optare atque amplecti nequaquam poffit.

C O R O L L A R I U M.

373. *Voluntas igitur nihil appetit, nifi quatenus illud fibi videtur bonum; nihilque fugit, nifi quatenus illud fibi malum apparet.* Oftenfum eft enim, voluntatem neque poffe appetere malum fub ratione mali; neque bonum, quatenus fibi bonum eft, poffe averfari. Hinc Doctor Subtilis, dico, inquit, *quod voluntas fic determinatur ad volendam beatitudinem, & ad nolendam miferiam, quod fi eliciat aliquem actum circa ifta objecta, neceffario & determinate elicit actum volendi refpectu beatitudinis, & nolendi refpectu miferie* (c).

P R O P O S I T I O III.

Voluntas non averfatur malum directe, fed indirecte tantum, quatenus fcilicet innato pondere in bonum fertur, cui malum contrarium eft.

374. *Probatum.* Quia voluntas hoc ipfo, quod innato veluti pondere in bonum tendit, a malo recedit. Cum enim bonum, & malum fibi mutuo contraria fint, appetere bonum minime potefl voluntas, quin recedere a malo fimul ipfa nitatur; quemadmodum grave nequit fuo pondere deorfum tendere, quin, ejuſdem caufa, aſcenſui

Z 2

ad

(a) Lib. I. *de officiis* cap. 4.(b) In *Enchirid.* num. 28., alias cap. 105.(c) Super. IV. *Sentent. Diſtinct.* 49. q. 10. §. *refpondeo ergo.*

adversetur. Ergo voluntas non fugit malum, nisi quatenus tendit in bonum; ac proinde nonnisi *indirecte* malum adversatur.

Confirmatur. Malum, quatenus *malum* est mera negatio. Nihil quippe nobis nocet, nisi quatenus aliquo bono nos privat. *Mali nulla natura est*, inquit S. Augustinus, *sed amissio boni mali nomen accepit* (a). *Directe* autem non respicitur ab operante natura, quod est purum nihil. Ergo voluntas non adversatur malum *directe*, sed tantum *indirecte*.

C O R O L L A R I U M.

375. *Bonum, generatim sumtum, est objectum voluntatis.* Nihil enim sub ratione *boni* occurrere potest voluntati, in quod illa, veluti innato pondere, non abripiatur; & solum bonum est, quod ab ea *directe* respicitur.

Objecta diluuntur.

Contra secundam propositionem, quæ sola videtur posse aliquid negotii faceffere, arguitur *primo*. Docet Scriptura, Deum ea lege apposuisse homini bonum, & malum, ut utriusque electionem in illius libertate reliquerit. *Ante hominem, vita, & mors*, inquit Ecclesiasticus, *bonum, & malum: quod placuerit ei, dabitur illi* (b). Ergo potest homo velle malum.

R. disting. coñs. potest homo velle malum sub ratione mali, *nego conseq.*; sub ratione boni, *concedo conseq.* Malum, quod una cum bono Deus apposuit homini, non est ita malum, ut nullam profus boni speciem illud præferat. Delectabile siquidem est; sed dicitur, & est malum, quia animæ nocet, impediens scilicet, ne aeterna præmia consequatur. Hinc S. Basilius *homil.* in psal. LXI. ad illud: *veruntamen vani filii hominum, mendaces in stateris hæc habet: Quid igitur est, quod dicit? Quoniam cuilibet nostrum intus statera quedam est a Conditore omnium apparata, per quam rerum naturam possis probe discernere. Posuit, inquit, ante faciem tuam vitam, & mortem, bonum, & malum, duas inter se contrarias naturas. Has tu apud tuum tribunal, & iudicium examina, ac diligenter expende, quid utilius tibi sit. At momentaneum, parumque duraturam eligere voluptatem, per quam mortem apprehendas aeternam; an in virtutis exercitatione afflictionem male, qua perpetuas consequaris delicias? Mendaces ergo homines, corrupta habentes animæ iudicia. Quos & Propheta miseros prædicat, dicens: Ve*
di-

(a) Lib. XI. de Civitate Dei cap. 9. (b) Cap. XIV. v. 18.

dicentibus tenebras lucem, & lucem tenebras; amarum dulce, & dulce amarum.

Dices: voluntas est potentia libera. Ergo potest appetere malum sub ratione mali.

R. neg. conseq. Libertas enim voluntatis in eo, quemadmodum infra dicemus, posita est, ut circa bonum quodcunque finitum possit agere, & non agere, non autem in eo, ut possit vel odio habere bonum sub ratione *boni*, vel malum sub ratione *mali* ipsa appetere.

Instabis: potest voluntas appetere minus bonum, relicto majori bono. Sed minus bonum, si cum majori conferatur, malum est, ut patet. Ergo &c.

R. disting. ma. potest voluntas appetere minus bonum; quatenus minus bonum est, *nego ma.* quatenus sibi *absolute* bonum, *concedo ma.*, & *permissa minori*, *nego conseq.* Potest itaque voluntas appetere minus bonum, illudque majori bono præferre, non quidem *reduplicative* ut minus bonum, sed *absolute* ut sibi bonum, utque sua utatur libertate, quod plerumque tanti a nobis fit, ut cuilibet finito bono præferatur.

Arguitur 2. Damnati appetunt non esse. Sed non esse est malum. Ergo &c.

R. disting. ma. damnati appetunt non esse, quatenus destructivum naturæ, *nego ma.*, quatenus terminativum poenæ, *concedo ma.*, & *disting. min.* non esse est malum, si spectetur, ut destructivum naturæ, *concedo min.*, si consideretur, ut terminativum poenæ, *nego min.*, & *conseq.* Responsio est manifesta. Melius est enim non esse, quam inferni flamma sine fine torqueri; unde Christus Dominus loquens de Juda proditore, *bonum*, inquit, *erat ei, si natus non fuisset homo ille* (a).

Arguitur 3. Qui peccat ex malitia, per hoc distinguitur ab eo, quo peccat ex ignorantia, quod ille vult malum, cognitum ut malum, hic vero nequaquam. Ergo &c.

R. nego conseq. Aliud est enim velle malum, cognitum ut malum, aliud velle malum sub ratione *mali*. Vult malum, cognitum ut malum, qui in eo, quod appetit, præter rationem *boni*, a qua allicitur, rationem *mali* deprehendit. Vult autem malum sub ratione *mali*, qui ita malum appetit, ut ab ipsa ratione *mali* ad amorem alliciat. Qui ergo peccat ex malitia, vult malum cognitum ut malum, at non vult malum sub ratione *mali*. Vult malum, cognitum ut malum, quia scit, sua ipsum actione peccare, Deumque offendere; sed

Phil. Ment. T. II.

Z 3

non

(a) Matthæus cap. XXVI. v. 24.

non vult malum sub ratione *mali*; quia non vult actionem illam peccaminosam, quatenus peccaminosa est, seu mala, sed quatenus est sibi bona, sive appetitui sensitivo consentanea. Qui autem peccat ex ignorantia, putat actione sua divinam ab se non violari legem; & ideo vult malum, quod credit non esse malum, nempe aliquid appetit, in quo rationem *mali* neutiquam deprehendit. Pro stabiliendo itaque discrimine peccantis ex malitia ab eo, qui peccat ex ignorantia, minime requiritur, ut in malum, quatenus malum est, ille amore feratur.

ARTICULUS II.

An humana voluntas sit potentia libera.

376. **D**uplex potissimum libertas distinguenda hoc loco est; altera scilicet a *coactione*, altera a *necessitate*.

DEFINITIO I.

377. Cogi dicitur agens, cum externa vi, contra atque illius natura postulat, ad operandum adigitur. Sic cogitur lapis ad motum, cum ab externo agente sursum impellitur. Nititur siquidem lapis, ut notum est, deorsum tendere.

SCHOLION.

378. *Coactum* solet etiam *violentum* nuncupari. Est enim *violentum*, quod fit ab agente extrinseco, passo non solum nullam conferente vim, verum etiam contra nitente. Talis est ascensus lapidis; quippe qui totus adeo ab extrinseco provenit, ut illi lapis resistat. Proprie tamen loquendo, *coactum* dicitur de animatis, *violentum* de inanimatis.

DEFINITIO II.

379. Libere *libertate a coactione* operari dicitur agens, cum, omni penitus sublata extrinseca vi ipsum impellente, secundum naturalem propensionem inclinationemque suam operatur, suumque effectum producit. Sic libere *libertate a coactione* agunt belluæ, cum parant, quæ victui necessaria sunt, quæque nocere eis possunt pro viribus fugiunt atque devitant. Agunt enim tunc non invitæ, sed prout ipsarum natu-

natura requirit. *Principio*, ut præclare advertit Tullius, *generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueatur, declinetque ea, quæ nocitura videantur; omniaque, quæcunque ad vivendum sint necessaria, acquirat, & paret, ut pastum, ut latibula, ut alia ejusdem generis* (a).

S C H O L I O N.

380. *Actio libera libertate a coactione dicitur etiam spontanea. Sponte quippe fit, quod ab non coacto efficitur.*

D E F I N I T I O III.

381. *Agens necessarium vocatur illud, quod ad unum adeo determinatum est, ut agere oppositum nequaquam possit. Sic ignis necessario calefacit corpora, quæ sibi debite proxima sunt. Ira enim ad hanc actionem determinatus est ignis, ut otari minime queat. Dividitur porro agens necessarium tum ratione determinationis, quam habet ad unum, tum ratione oppositionis, quæ inter terminos posita est. Ratione determinationis dividitur agens in necessarium intrinsecus, & in necessarium extrinsecus. Ratione vero oppositionis terminorum dividitur in necessarium necessitate contrarietatis, sive specificationis, & in necessarium necessitate contradictionis, sive exercitii.*

D E F I N I T I O IV.

382. *Agens intrinsecus necessarium est illud, quod ad unum, ipsa sua natura, determinatum est. Agens vero necessarium tantum extrinsecus vocatur illud, quod nonnisi ab extrinseca causa habet, ut ad unum sit determinatum. Sic ignis quoad combustionem est agens intrinsecus necessarium. Determinatio enim ad combustionem oritur ex illius natura. Homo vero ligatus necessario quidem sedet, sed necessitate tantum extrinseca; cum externa sit causa, quæ ipsum ad sessionem determinat.*

S C H O L I O N.

383. *Agens, quod est ad unum per suam naturam determinatum, naturale etiam dicitur; unde naturalis vocari solet actio, quæ determinata est per ipsam agentis naturam.*

(a) Lib. I. de Officiis cap. 4:

DEFINITIO V.

384. Agens necessarium *necessitate specificationis*, sive *contrarietatis*, dicitur illud, quod ad unum contrariorum determinatum est. Sic quoniam ignis est determinatus ad producendum calorem, ut frigus, quod calori *contrarie* opponitur, ab illo produci nequaquam possit, dicitur calorem necessario producere *necessitate specificationis*.

DEFINITIO VI.

385. Agens necessarium *necessitate contradictionis*, sive *exercitii*, vocatur illud, quod est ita ad operandum determinatum, ut, *positis omnibus ad actionem praequisitis*, nequeat non operari. Sic ignis necessario *necessitate exercitii* calefacit corpora sibi debite proxima, eaque dissolvit. Non enim fieri potest, naturæ viribus, ut actione tunc careat ignis, ipsaque corpora illa sa profus relinquat.

DEFINITIO VII.

386. Agens *naturali*, sive *necessario* opponitur *liberum*. Sicuti ergo agens *necessarium* est illud, quod natura sua ad unum determinatum est, ita ex adverso agens *liberum libertate a necessitate* est illud, quod natura sua adeo est ad opposita indeterminatum, ut *utrumque oppositorum in illius ex aquo sit potestate*. Porro *libertas a necessitate* duplex est, altera scilicet *contrarietatis*, sive *specificationis*, altera *contradictionis*, seu *exercitii*.

DEFINITIO VIII.

387. *Libertas contrarietatis* ea est, per quam agens potest *contrarios actus producere*, ad neutrum per suam naturam determinatum. Sic homo dicitur liber *libertate contrarietatis*, quatenus circa idem objectum potest *contrarios actus elicere*.

DEFINITIO IX.

388. *Libertas contradictionis* sive *exercitii* est illa per quam agens, *positis omnibus ad agendum praequisitis*, potest agere, & non agere, adeo nempe ut tam *actio*, quam *illius negatio* in ipsius agentis potestate
ex

ex æquo habeatur. Sic Deus libere creavit mundum libertate contradictionis; quia ita mundum condidit, ut illum non creare ex æquo potuerit.

S C H O L I O N I.

389. *Dixi: positis omnibus ad agendum prærequisitis, videlicet iis, quibus necessario est opus, ut agens operari possit. Si quid enim eorum desit, negatio actionis non libertati agentis imputanda est, sed potentiæ defectui est tribuenda.*

S C H O L I O N II.

390. *Agens liberum libertate contradictionis dicitur absolute; sive sine addito, liberum libertate a necessitate.*

D E F I N I T I O X.

391. *Actus voluntatis elicti dicuntur illi, qui ab ipsa voluntate; ut ab activo principio, immediate proveniunt. Tales sunt volitio, nolitio, amor &c. Illi vero imperati vocantur, qui ad nutum quidem voluntatis, sed a potentiis ab ea distinctis peraguntur, ut loquutio, deambulatio, atque id genus alii.*

C O R O L L A R I U M.

392. *Omnis actus imperatus voluntatis necessario dependet ab actu ejusdem elicto. Actus enim elictus est ratio, cur habeatur imperatus.*

D E F I N I T I O XI.

393. *Voluntaria dicitur actio, quæ a voluntate dependet. Sic deambulatio peracta, recreationis causa, est actio voluntaria. A voluntate siquidem est, ut ab homine perficiatur.*

C O R O L L A R I U M.

394. *Omnes actus voluntatis tam elicti, quam imperati, sunt voluntarii. Dependunt enim omnes a voluntate.*

DEFINITIO XII.

395. *Involuntarium est, quidquid a voluntate non dependet. Duplīciter autem potest aliquod esse involuntarium, scilicet positive, & negative. Involuntarium positive dicitur illud, quod peragitur contrariante voluntate, ut cum homo per vim ad carcerem trahitur. Involuntarium vero negative id omne vocatur, cui neque adversatur voluntas, neque consentit. Tales sunt motus, qui in dormientibus contingunt.*

L E M M A I.

Potest aliqua actio esse libera libertate a coactione, quin sit libera libertate a necessitate.

396. *Probat̄ur. Actiones naturales agentis cuiusque sunt liberae libertate a coactione. Non enim est contra naturalem agentis inclinationem id agere, ad quod per suam naturam agens ipsum determinatum est. Omnes autem actiones naturales sunt necessariae (§. 383.). Ergo potest aliqua actio esse libera libertate a coactione, quin sit libera libertate a necessitate.*

C O R O L L A R I U M I.

397. *Igitur ex eo, quod aliqua actio sit libera libertate a coactione, non sequitur, liberam quoque ipsam esse libertate a necessitate.*

C O R O L L A R I U M II.

398. *Naturalis operandi necessitas optime stat cum libertate a coactione. Naturalis est enim necessitas illarum actionum, quæ per agentis naturam determinantur. Hinc*

C O R O L L A R I U M III.

399. *Absolute loquendo necessarium, & liberum non ita opponuntur, ut, quod necessarium aliquo modo est, nullo modo liberum esse possit.*

LEM-

L E M M A II.

Omnis actio libera libertate a necessitate est etiam libera libertate a coactione.

400. *Probatur.* Id namque nec est, nec esse potest contra naturalem inclinationem causæ, quod libere libertate a necessitate ab illa efficitur. Nullum enim est agens, quod ad operandum contra seipsum libere sese determinet. Igitur coactum esse nequit, quod liberum libertate a necessitate sua in actione est.

C O R O L L A R I U M.

401. *Libertas a coactione latius patet libertate a necessitate.* Actio namque libera libertate a necessitate est etiam libera libertate a coactione. Sed non vicissim (§. 396.).

P R O P O S I T I O I.

Humana voluntas ad nullum actum eliciendum potest cogi.

402. *Probatur.* Si namque ad volitionem eliciendam voluntas cogi posset, esset simul volens, & nolens. Esset enim volens per volitionem, quam elicit. Esset vero nolens; quia volitio coacta nolita est, utpote contra volitionem ipsius voluntatis. Hæc autem pugnant inter se, ut patet. Ergo repugnat prorsus, ut ad aliquem eliciendum actum voluntas humana cogatur.

Dices: lapis cogi potest ad ascensum. Ergo etiam voluntas ad volendum, quod non vult, & ad nolendum, quod vult.

R. disting. añs: lapis potest cogi ad ascensum, ita ut lapis sese ad ascensum determinet, nego añs; ita ut ab extrinseco determinetur, concedo añs, & nego conseq. Ad ascensum itaque cogitur lapis, quatenus ab extrinseco agente vis illis communicatur, qua ascensus perficitur; ut proinde lapis mere *passive* ad ascensum se habeat. Cum autem dicimus, voluntatem non posse cogi, neutiquam inficiamur, aliquid communicari illi a Deo posse, quod sit contra illius inclinationem, sed tantum dicimus, non posse fieri; ut actus aliquis, contra ac ipsa velit, ab illa eliciatur.

Co-

COROLLARIUM I.

403. *Omnes igitur actus elicitī voluntatis sunt liberi libertate & coactione.* Nullus enim illorum coactus est, si ad nullum cogi voluntas possit. Hinc

COROLLARIUM II.

404. *Etiam actus imperatī voluntatis sunt liberi libertate a coactione.* Cum enim actus imperatī ita ab elicitis dependeant, ut nullus sit actus imperatus, si nullus sit actus elicitus (§. 392.), nullus actus imperatus potest esse coactus, si istiusmodi nequeat esse ullus actus elicitus.

S C H O L I O N.

405. Non inficiamur, plures exteriores motus posse in nobis esse coactos. Externa siquidem vi ita urgeri ad operandum possumus, ut illis resistere nequeamus. Nullus tamen horum motuum imperatus est, ut patet. Porro neque illi motus sunt vere & proprie coacti, qui ob metum eliciuntur. Non enim eliciuntur a voluntate contra nitente. Dicuntur autem coacti; quia ad eos eliciendos non se determinaret voluntas, si nullus metus in eam caderet. Se autem determinat, & quidem libere, posito metu; quia imminens sibi malum, quod vehementer apprehendit, vult declinare.

COROLLARIUM III.

406. *Humana voluntas, quoad omnes suos actus tam interiores; quam exteriores, adeo libera est libertate a coactione, ut ea privari nullatenus possit.* Ostensum est enim, non posse fieri, ut ad actum aliquem eliciendum, atque adeo & imperandum, voluntas humana cogatur.

COROLLARIUM IV.

407. *Omnes actus voluntarii sunt liberi libertate a coactione.* Omnes enim actus voluntarii ita a voluntate dependent, ut vel elicitī ab ea sint, vel imperatī (§. 394.).

PRO-

PROPOSITIO II.

Voluntas humana libera est libertate contrarietatis.

408. *Probat*ur. Humana voluntas ita se gerere potest circa eidem objectum, ut contrarius actus queat, si velit, circa illud elicere. Constat enim, eam averfari potuisse id, quod modo amat, quemadmodum haud raro contigit, ut illud ipsum odio habeat, quod antea amore proferebatur. Ergo &c.

PROPOSITIO III.

Datur in nobis libertas contradictionis, five exercitii.

409. Quanti momenti fit hæc propositio, nescius nemo est. *Sentiunt, religionem, quicumque eam impatienter ferunt, inquit Cl. Vir, radicitus ab eo evelli, qui libertatem sustulerit, utpote, qua sublata, inanes sint leges, pœna iniqua, præmia nulla. Vident simul, libertate concessa, concedi quoque debere menti naturam ab extensione plane diversam; quandoquidem extensio se ipsam agere, impellere, se excitare, sibi moderari, sese denique ullo pacto fingere impar sit, sed quascunque mutationes subit, eas omnes a causis sibi externis teneat, & accipiat (a).* Mirum idcirco ne videatur, si hæc in hominem libertas tot semper oppugnatores habuerit. Eam itaque evertere conati olim fuere Astrologi judicarii, docentes, omnia fato regi, five inimpedibili, ex stellarum influxu, necessitati suis in actionibus hominem esse subjectum: quæ etiam fuit Priscillianistarum opinio, ut patet ex cap. 3. Concilii II. Bracarenfis, ubi legitur: *si quis animas, & corpora fatalibus stellis credit adstringi, sicut Pagani, & Priscillianus, anathema sit.* Non secus quoque hæc super re senserunt Manichæi, licet non ex eodem principio. Cum enim duas in homine esse animas dicerent, unam naturam suam malam, alteram bonam, solemne illis consequenter fuit, hominem ejus esse naturæ, ut tam bene, quam male, quidquid ageret, necessario operaretur. Humanæ libertati bellum postremo indixerunt Calviniani, Lutherani, & Jansenistæ, iique demum omnes, quibus cum Spinosa nulla prorsus fides pietasque est, nulla religio. Rejecta siquidem libertate exercitii, quæ arbitrii etiam vocatur, non aliam,

(a) Petrus de Crofa P. I. Logicæ Sect. I.
cap. 13 num. 4.

aliam, niſi a coactione libertatem eſſe modo in homine, impii Novatores dixerunt. *Liberi arbitrii hoc modo dicitur homo*, inquit Calvinus, *non quia liberam habeat boni æque ac mali electionem, ſed qua male voluntate agit, non coactione* (a). Idipſum docuit Lutherus, cum ait: *ſequitur, nos neceſſario operari Neceſſario vero dico, non coactæ, neceſſitate immutabilitatis, non coactionis* (b); unde *figmentum in rebus, ſive titulum ſine re*, liberum arbitrium ipſe appellat (c). Jansenius quoque fatiſ eſſe docuit ad peccatum, quod *plena voluntate feratur homo in malum, ſive ab iſta diligendi mali neceſſitate ſe expedire poſſit, ſive non poſſit* (d). Impius demum Spinola, *concipe jam*, inquit, *ſi placet, lapidem, dum moveri pergit, cogitare & ſcire, ſe quantum poteſt, conari, ut moveri pergat*. Hic ſane lapis, quando quidem ſui tantum conatus eſt conſcius, & minime indifferens, ſe liberrimum eſſe, & nulla alia de cauſa in motu perſeverare credit, quam quia vult. Atque hac humana illa libertas eſt, quam omnes ſe habere jaçtant, & que in hoc ſolo conſiſtit, quod homines ſui appetitus ſint conſcii, & cauſarum, a quibus determinantur, ignari (e). Contra hos itaque dicimus, hominem non a coactione tantum, verum etiam ea, quæ dicitur exercitii, libertate pollere.

I.

410. Momentum primum ſumitur ex Scriptura, & Patribus. Non enim omnes, qui hanc in homine libertatem inſiciantur, ſacrarum Literarum oraculis, Patrumque auctoritati refragari ſe putant. Hæc igitur habet Scriptura: *Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit illum in manu conſilii ſui. Adjecit mandata & præcepta ſua. Si volueris mandata ſervare, conſervabunt te, & in perpetuum fidem placitam facere* (f). Porro exercitii libertatem ſignificari hoc loco, aperte docet S. Auguſtinus, nec ipſe negare potuit Calvinus. Hæc enim habet S. Doctor poſt modo laudatum Eccleſiaſtici locum: *Ecce apertiſſime videmus expreſſum liberum humane voluntatis arbitrium. Quid illud, quod tam multis locis omnia mandata ſua cuſtodiri, & fieri jubet Deus? Quomodo jubet, ſi non eſt liberum arbitrium* (g)? Vim proinde argumenti ut Calvinus eluderet, ait, de ſolo Adam ante lapſum, non vero de omnibus hominibus originali peccato obnoxiiis, tunc loqui Scripturam. At perperam. Cain ſiquidem irato dixerat Dominus: *nonne ſi bene egeris, recipies. Sin autem male, ſtatim in foribus*

pec-

(a) Lib. II. *Inſtit.* cap. 2. num. 7.(b) Lib. *de ſervo arbitrio*.(c) *Aſſert. articulorum*.(d) Lib. IV. *de ſtatu nature lapſæ* c. 24.(e) In *Epift.* pag. 584., 585.(f) *Eccleſiaſtici* cap. XV. v. 14.(g) Lib. *de gratia, & libero arbitrio* n. 3. alias cap. 2.

peccatum aderit? sed sub te erit appetitus ejus, & tu dominaberis illius (a). Quomodo autem dominari appetitui suo poterat Cain jam obnoxius peccato, si arbitrii tunc ei non erat libertas? Adde, ex divina promissione æternam illi futuram modo esse gloriam, *qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit* (b). Igitur agere, & non agere, & quidem tam bene, quam male, ita etiam modo in hominis potestate est, ut ab illius voluntate omnino pendeat alterutrius partis electio. Hinc S. Cyprianus, *homo, inquit, libertati suæ relictus, & in arbitrio proprio constitutus, sibimetipsi vel mortem appetit, vel salutem* (c); utque habet S. Ambrosius, *homini dedit (Deus) eligendi arbitrium, quid sequatur* (d). Relinquitur ergo libertatem exercitii negare in homine, neminem posse, quin Divinæ auctoritati palam adversetur, aperteque resistat. Plura porro ex Patribus si quis cupiat, doctissimum Petavium adeat (e). Is enim luculenter adeo rem hanc persequutus est, ut nemo in hoc negotio præripere ei palmam posse, jure optimo videatur.

I I.

411. Post divina in favorem humanæ libertatis oracula, Patrumque testimonia, omnium ferme veterum Philosophorum occurrit auctoritas. Inter præstantiores quippe nullus ferme est, qui illam in homine apertissime falsus non fuerit. Dixerant quidem Stoici, fatali necessitate fieri cuncta, quæ in mundo contingunt. Verum unam ab hac lege, teste S. Augustino, excipiebant humanam voluntatem. *Nec illa necessitas formidanda est*, scribit S. Doctor, *quam formidando Stoici laboraverunt, causas rerum ita distinguere, ut quasdam subtraherent necessitati, quasdam subderent; atque in his, quas esse sub necessitate noluerunt, posuerunt etiam nostras voluntates, ne videlicet non essent libera, si subderentur necessitati* (f). Profecto nec ipse Calvinus (g) negare ausus est, constantem vetustissimorum Philosophorum fuisse sententiam, hominem ea libertate præditum esse, qua agere, & non agere, si velit, ex æquo possit. Illorum autem testimoniis, ne longior sim, prætermittis, unum dumtaxat afferam Tullium, Ethnicorum omnium merito optimoque jure præstantissimum. Ergo contra Chrysippum arguens Vir ille summus, *non si alii*, inquit, *ad alia propensiores sint propter causas naturales & antecedentes, idcirco etiam nostrarum*

(a) *Geneseos* cap. IV. v. 7.(b) *Ecclesiastici* cap. XXXI. v. 10.(c) Lib. I. Epist. 3. ad *Cornelium*.(d) *Comment. in Psalm. 40.*(e) *Theol. Dogm. Tom. III. lib. 3.*(f) Lib. V. de *Civitate Dei* cap. 10.(g) Lib. II. *Institut.* cap. 2. §. 2.

rum voluntatum atque appetitionum sint causæ naturales & antecedentes. Nam nihil esset in nostra potestate, si res ita se haberet. Nunc vero fatemur, acuti, hebetesne; valentes, imbecilline simus, non esse id in nobis. Qui autem ex eo cogi putat, ne ut sedeamus quidem, aut ambulemus, voluntatis esse, is non videt, quæ quamque rem res consequatur. Ut enim & ingeniosi, & tardi ita nascantur, antecedentibus causis, itemque valentes & imbecilli, non sequitur tamen, ut etiam sedere & ambulare, & rem agere aliquam, principalibus causis definitum, & constitutum sit. Stilponem, Megareum Philosophum, acutum sane hominem & probatum temporibus illis accepimus. Hunc scribunt ipsius familiares, & ebriosum & mulierosum fuisse, neque hoc scribunt vituperantes, sed potius ad laudem. Vitiosam enim naturam ab eo sic edomitam & compressam esse doctrina, ut nemo unquam vinolentum illum, nemo in eo libidinis vestigium viderit. Quid? Socratem nonne legimus, quemadmodum notavit Zopyrus physiognomon, qui se profitebatur hominum mores, naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoscere? stupidum esse Socratem dixit & bardum, quod jugula concava non haberet; obstructas eas partes & obturatas esse dicebat, addidit etiam, mulierosum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur, sustulisse. Sed hæc ex naturalibus causis vitia nasci possunt, extirpari autem & funditus tolli, ut is ipse, qui ad ea propensus fuerit, a tantis vitiis avocetur, non est id positum in naturalibus causis, sed in voluntate, studio, disciplina (a). Concludit propterea, ad animorum motus voluntarios non esse requirendam externam causam. Motus enim voluntarius eam, inquit, naturam in se ipse continet, ut sit nostra potestate, nobisque pareat; nec id sine causa: ejus enim rei causa, ipsa natura est (b). Adde, ratum adeo fixumque fuisse Tullio, humanas actiones imperio subjici voluntatis, ut ignorans quomodo cum humana libertate conciliare divinam præscientiam posset, maluerit, hanc Deo subtrahere, quam homini libertatem denegare. In has angustias, ut de eo scribit S. Augustinus, coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum; quoniam utrumque abitratur esse non posse, sed si alterum confirmabitur, alterum tolli, si elegerimus præscientiam futurorum, tolli voluntatis arbitrium; si elegerimus voluntatis arbitrium, tolli præscientiam futurorum. Ipse itaque ut vir magnus & doctus, & vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus eligit liberum voluntatis arbitrium, quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum; atque ita dum vult face-

re

(a) Lib. de Faço cap. 5.

(b) Ibidem cap. 11.

re liberos, fecit sacrilegos. Religiosus autem animus utrumque eligit, utrumque confitetur, & fides pietatis utrumque confirmat (a).

I I I.

412. Homini libertate sublata, omnis humana vita subvertitur, frustra leges dantur, frustra objurgationes, laudes, vituperationes, exhortationes adhibentur; neque ulla justitia bonis premia, & malis supplicia constituta sunt (b). Frustra namque præcipitur, quod necessario faciendum est; ac prorsus injuste prohibetur, quod vitari non potest. Si necessitate facimus, quidquid facimus, fieri certe nequit, ut honeste vivat, qui turpiter vivit, quemadmodum haud potest fieri, ut cæcus lumen videat, & qui claudus est, recte incedat. Qui non clamet, inquit auctor libri de fide contra Manichæos, S. Augustino olim adscripti, cap. 10., stultum esse, præcepta dare ei, cui liberum non est, quod præcipitur facere; & iniquum esse, eum damnare, cui non fuit potestas jussa complere? Nulla igitur, exercitii sublata libertate, vitia in homine sunt, nullæ virtutes. Peccati reum tenere quemquam, ait S. Augustinus, quia non fecit, quod facere non potuit, summæ iniquitatis est & insanie (c). Exhortationibus quoque, atque minis, ut bene agant homines, nullus est locus. Virtuosam quippe suadenti vitam merito optimoque jure, si omnia fatali necessitate a nobis fiunt, respondere posset iniquus: non sunt potestatis hæc meæ, o Doctor; & ideo quod oportet, sollicitum esse, nisi hæc etiam sollicitudo mihi fati destinata sit? Quod si docendi, præcipiendique tibi necessitas instat, frustra tamen doces, ac præcipis. Faciam enim, si fata volunt; imo vero laborandum mihi non est. Aderit enim necessario, quod fatatum est (d).

I V.

413. Porro cum nulla sit gens, nullumque genus hominum, quod publicum Magistratum non habeat, certaque leges, quæ supplicio improbos afficiunt, defendunt, ac tuentur bonos (e), dubium esse nequit, quin sit vox naturæ, ea nos libertate esse donatos, quæ ita agamus, quæcunque bene, vel male facimus, ut in nostra sit potestate prorsus oriri. Etiamne libri obscuri mihi scrutandi erant, inquit S. Augustinus. Phil. Ment. T. II. A a sti-

(a) Lib. V. de Civit. Dei cap. 9.

(b) S. Augustinus ibidem.

(c) Lib. de duabus animabus, num. 17. alias cap. 12.

(d) Eusebius lib. VI. de præp. Evangel. cap. 6.

(e) Tullius lib. II. de legibus cap. 5.

stinus contra Manichæos, unde discerem, neminem vituperatione supplicioque dignum, qui aut id velit, quod justitia velle non prohibet, aut id non faciat, quod facere non potest? Nonne ista cantant & in montibus pastores, & in theatris poeta, & indocti in circulis, & docti in bibliothecis, & magistri in scholis, & in orbe terrarum genus humanum (a). Si ergo omnium consensus, quemadmodum præclare advertit Tullius, natura vox est (b); sique, teste S. Augustino, sine voluntate peccatum esse non posse, omnis mens apud se divinitus conscriptum legit (c), ecquis erit, qui dubitet, tunc esse peccatum, cum & velle injustum est, & liberum nolle (d)?

V.

414. Verum ne ipsi quidem humanæ libertatis hostes negare illam in homine possunt, quin facto sibi metipsis apertissime contradicant. Hortantur enim, ut honeste vivant, & ipsi suos; puniuntur, qui vim inferunt legibus, quique publicam perturbant pacem, summo cruciatu, supplicioque perire cogunt. Præterea, cordi illis esse plurimum, ne quid agant, cujus causa vel eorum lædatur fama, vel aliud quodcumque damnum ipsis ab aliquo inferatur. Solliciti idcirco sunt in periculis, dubiisque in rebus apprime cauti: uno verbo, ita se gerunt, ut ambigere nemo queat, quin intus & ipsi sentiant, dignos esse ritum, qui fidem illis præbent, cum ajunt, nihil libere a nobis fieri, sed omnia inimpedibili prorsus necessitati esse subjecta. Quod opinio, que de fato habetur, inquit Eusebius, penitus falsa sit, inde patet, quia citam ejus opinionis auctores & docent, & hortantur, & discunt, & consulunt. Increpant etiam, castigantque suos, quasi propria voluntate peccantes. Plurima quoque conscribunt, quibus ad rectos juvenes adhortantur mores, veniaque dignum putant, si quis invitus peccat; sponte autem delinquentes puniendos non negant (e). Egregie propterea S. Augustinus, postquam dixit, omnes leges, atque omnia instituta disciplina, laudes, vituperationes, exhortationes, terrores, premia, supplicia, ceteraque omnia, quibus humanum genus administratur & regitur, penitus labefactari atque subverti, nihilque in eis omnino justitia remanere, nisi voluntas sit causa peccati, ex eo demonstrat, mala opera perperam prorsus fato accepta referri, quod ne ipsi quidem, qui asserunt, omnia fatali necessitate a nobis fieri, hanc, posito fato, procul-

(a) Lib. de duabus animabus num. 15.
alias cap. 11.

(b) Lib. 97. Tuscul. cap. 15.

(c) Lib. de duab. animab. n. 15., alias c. 11.

(d) S. Augustinus ibidem.

(e) Lib. VII. de præp. Evangel. cap. 7.

culdubio justissimam, in suis puniendis subditis excusationem admittant. *Quanto licentius & æquius, inquit S. Doctor ad Lampadium scribens, Mathematicorum improbamus errores, quam divinas leges, vel etiam domorum nostrarum curam damnare atque abjicere cogimus, quod nec ipsi Mathematici faciunt? Nam cum aliquis eorum hominibus nummatis fatua fata vendiderit, mox ut oculum a tabellis eburneis ad domus suæ moderamen ac sollicitudinem revocaverit, non solum vocibus, sed etiam plagis emendat uxorem, non dico, si petulantius jocantem, sed si immoderatus per fenestram adspicientem animadvertit. Quæ tamen si ei dicat: quid me cædis? Venerem cæde, si potes, a qua cogor hoc facere. Tum vero ille non curat, quam vana verba componat fallendis extraneis, sed quam justa verbera imponat corrigendis suis. Quando ergo quisque, cum reprehendicaperit, causam convertit in fatum, & ideo se culpari non vult, quia fato se dicit coactum fecisse id, quod arguitur, redeat ad seipsum, servet hoc in suis, non castiget servum furem, non de contumelioso filio conqueratur, vicino improbo non minetur. Quid enim horum faciens, juste facit, si omnes, a quibus injurias patitur, non culpa sua, sed fato, impelluntur, ut faciant? Si autem jure proprio, & patrisfamilias diligentia, quoscumque homines pro tempore in potestate habet, hortatur ad bonum, deterrere a malo, imperat suæ voluntati, ut obtemperent, honorat eos, qui sibi ad nutum obediunt, vindicat in eos, qui se contemnunt, rependit gratiam beneficis, odit ingratos, egone expectabo, ut contra fata disputem, cum tanta cum non verbis, sed factis eloqui deprehendam, ut prope manibus suis omnes Mathematicorum capillos super capita eorum frangere videatur (a)?*

V I.

415. Intimo demum sensu certissime constat, nos ita velle, quod volumus, ut ipsi nos ad volendum determinemus. *Sentit animus se moveri, inquit elegantissimus Cicero, quod cum sentit, illud unx sentit, se vi sua, non aliena moveri (b); utque præclare habet Eusebius, quomodo, cum sentiamus, nostra nos appetitione moveri, non omnino amentissimum erit, ab exteriori quadam vi, quasi animi expertes, moveri nos credere? Sic enim libera voluntate alia fugimus, alia sequimur, ut quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire, non ratiocinando, se reipsa, comprehendimus, ita a nostro ipsorum consilio aut ad*

A a 2

fu-

(a) Epist. CCXLVI, alias CCXLIII.

(b) Lib. I. 99. Tuscul. cap. 23.

fugiendum, aut ad ad sequendum moveri nos profecto sentiamus (a). Itaque nisi velimus, in iis etiam falli nos posse, & falli re ipsa, quæ per sensum intimum nobis nota sunt; ac proinde nemini esse certum se cogitare, & vivere, dicendum est, mentem nostram ita esse dominam suorum actuum, ut agere & non agere, in illius ex æquo sit potestate. Certa etenim æqualiter sunt, quæ per idem medium nobis innotescunt. Egregie propterea humanæ libertatis hostes urget Vir doctissimus. Unde enim est, ait ille, quod EGO COGITO prima, & omnium maxime inconcussa veritas agnoscatur, nisi quia nullius perceptionis conscientia istam perspicuitatem superat? Huic proximam annumerant EGO SUM, quod existentia mea tam sim conscius, quam cogitationis, nec stare possit illarum prima, si secunda tollatur. Qua autem evidentia sentio, & sentire, & fateri cogor, me cogitare, eadem evidentia, modo attendam, sentio me velle, & me eum esse, qui me ad volendum pro lubitu flecto, sumque actuum illorum, qui nomine tō velle veniunt, dominus, causa, arbiter (b).

Porro non dixi, nullam externam a nobis sentiri causam, quæ voluntatem nostram ad operandum determinet, sed nobis constare sensu intimo, ita nos a nobismetipsis determinari ad operandum, ut determinationem ipsam esse active a nostra voluntate, ipsi sentiamus. Hoc autem quam accurate considerandum est. Sicuti enim ex eo, quod nullam externam sentiamus causam, quæ nos determinet, candide fateor, colligi jure non posse, exercitii libertate nos esse donatos, ita contendo, libertatem ipsam certissime ex eo deduci, quod sentiat animus, se vi sua, non aliena moveri. Hæc igitur in nobis libertas est, quam qui negatoriiis ratiocinationibus labefactare conantur, usque adeo cæci sunt, ut nec ista ipsa quidem vana, atque sacrilega, propria voluntate se dicere intelligant (c).

COROLLARIUM.

416. *Liberum arbitrium extinctum in homine per peccatum non est, ut perperam contendunt heterodoxi. Cum enim libertas contradictionis, sive exercitii, nomine liberi arbitrii, a Theologis intelligatur, homo etiam in statu naturæ lapsæ libere pollet arbitrio, si exercitii libertate, ut modo ostensum est, in eodem statu sit ipse donatus.*

Obje-

(a) Lib. VI. de præp. Evangel. cap. 6.

(b) Petrus de Crota P. I. Logicæ Sect. I. cap. 12. num. 6.

(c) S. Augustinus lib. de quantitate animæ num. 80. alias cap. 36.

Objecta diluuntur.

Opponunt primo humanæ libertatis hostes auctoritatem Apostoli dicentis: *non quod volo bonum, hoc facio, sed quod nolo malum, hoc ago* (a). Igitur non habet homo, inquiunt, in operando libertatem arbitrii. Non enim liber hoc modo est homo, si non facit, quod vult, quodque non vult, operatur.

R. *nego consequ.* Eo enim loci non loquitur Apostolus de consensu voluntatis, sed de motibus appetitus sensitivi, qui cum, ut in nobis, ita in illo plerumque excitarentur, invita voluntate, ait, ab se fieri; quod nollet, quamque in suo corpore optabat quietem, obtinere non posse. Itaque *facere se dixit* (Apostolus), & *operari*, inquit S. Augustinus, *non affectu consentiendi & implendi, sed ipso motu concupiscendi* (b), ut proinde sit sensus, non quod volo bonum mente, hoc ago carne, sed quod mente nolo malum, hoc carne operor. Subdit propterea; *sit quod, nolo, illud facio jam non ego*, nempe deliberate, *operor illud, sed quod habitat in me peccatum*, scilicet concupiscentia carnis, quæ cum ex primi hominis culpa originem traxerit, peccatum ab Apostolo nuncupatur.

Opponunt 2. S. Augustinum. Hæc enim habet S. Doctor: *Liberrimum arbitrium ad diligendum Deum primi peccati granditate perdidimus* (c); & alio loco: *Libero arbitrio male utens homo, & se perdidit, & ipsum* (d). Ergo &c.

R. *disting. añs*: homo male utens libero arbitrio, & se, & ipsum perdidit, hoc est, effecit, ut vis illa vitiaretur, *concedo añs*; ut illa omnino periret, *nego añs, & consequ.* Liberum ergo arbitrium, originalis peccati causa, non extinctum in nobis fuit, sed viciatum, quatenus nempe factum inde est, ut, ob prædominum appetitus sensitivi, bonum operari non amplius possit homo, nisi Redemptoris gratia adjuvetur. Patet ex ipsomet S. Augustino. Ait enim S. Doctor: *quis nostrum dicat, quod primi hominis peccato perierit liberum arbitrium de humano genere? Libertas quidem periit per peccatum, sed illa, quæ in paradiso fuit, habendi plenam cum immortalitate justitiam* (e). Et infra: *Peccato Adæ liberum arbitrium de hominum natura periisse non dicimus, sed ad peccandum valere in hominibus subditis diabolo. Ad be-*
Phil. Ment. T. II. A a 3 ne

(a) *Ad Romanos cap. VII.*(b) *Lib. I. contra duas epist. Pelag. num. 18., alias cap. 10.*(c) *Epist. CCXVII., alias CVII.*(d) *Enchirid. num. 9., alias cap. 30.*(e) *Lib. I. contra duas Epist. Pelag. n. 5., alias cap. 2.*

ne autem, pieque vivendum non valere, nisi ipsa voluntas hominis, Dei gratia, fuerit liberata, & ad omne opus actionis, sermonis, & cogitationis adjuta (a). Ceterum tanti Doctoris judicio, ut patet ex illius verbis, eodem modo periit liberum arbitrium per peccatum, quo ipse homo. Manifestum est autem, hominem non periisse quoad substantiam. Ergo neque liberum arbitrium quoad substantiam periit.

Opponunt 3. Nullus actus voluntatis futurus est, quem Deus ab æterno non præsciverit. Necessario autem futurum est, quod Deus futurum novit. Falleretur quippe Deus, si secus res fieret. Ergo nullus est actus humanæ voluntatis, qui liber re ipsa sit libertate a necessitate; adeoque &c.

Æ. permissa ma. disting. min.: necessario futurum est, quod Deus futurum novit, necessitate consequente, *concedo min.*, necessitate antecedente, *nego min.*, & *conseq.* Quod itaque Deus novit futurum, necessario futurum est, necessitate non antecedente determinationem humanæ voluntatis, loquendo de illius actibus, sed ipsam consequente; adeoque tali, quæ nullatenus impedit, quominus voluntas ipsa in suis omnibus actibus eliciendis perfecta arbitrii libertate fruatur. Novit nempe Deus, quinam actus voluntatis quolibet momento temporis sit futurus; quia ab æterno vidit, quomodo singulis instantibus determinatura seipsam esset humana voluntas. Est autem necessario futurus ille voluntatis nostræ actus, quem Deus novit futurum; quia fieri nequit, ut actus cum ejusdem negatione componatur, videlicet ut non faciamus, ipsi quod facimus. Divina ergo præscientia non lædit humanam libertatem; quia, ut dictum est (S. 242.), illa non determinat voluntatem nostram ad operandum, sed determinationem ipsius voluntatis consequitur, sive non efficit, ut faciat, sed circa id, quod voluntas ipsa libere factura est, non secus atque circa id, quod modo facit, Divina cognitio versatur. *Non est*, inquit S. Justinus, sive auctor *questionum ad Orthodoxos* q. 58., *præscientia causa ejus, quod futurum est; sed id, quod futurum est, est causa præscientiæ. Siquidem non præscientiam consequitur futurum, sed futurum consequitur præscientiam; utque præclare argumentatur S. Augustinus, sicuti in memoria tua non cogis facta esse, quæ præterierunt; sic Deus præscientia sua non cogit facienda, quæ futura sunt* (b). Verum hac super re plura qui cupit, Theologos adeat. Luculentissime enim ab illis ostenditur, arbitrii libertatem in homine ne quidem levissime a Divina præscientia labefactari.

Oppo-

(a) Lib. II. *contra duas epist. Pelag.* num. 9., alias cap. 5.

(b) Lib. III. *de libero arbitrio* num. II. alias cap. 4.

Opponunt 4. Voluntas nequit esse libera libertate exercitii, nisi natura sua sit indifferens ad operandum, atque ad non operandum. Nequit autem esse indifferens. Ergo &c *Prob. min:* etenim si esset indifferens, ab alio determinari deberet. Non potest autem ab alio determinari; cum etiam de illo quæri possit, si ponatur agens liberum, a quo determinetur, & sic in infinitum. Ergo &c.

R. disting. ma: voluntas nequit esse libera, nisi sit indifferens indifferentia activa, *concedo ma:*, indifferentia mere passiva, *nego ma:*, & eodem modo *distincta min:*, *nego conseq.* Indifferens indidem est voluntas ad operandum, atque ad non operandum; at non ita, ut extrinsecum requiratur agens, a quo determinetur. Activa potentia ipsa est, & ejus quidem naturæ, ut determinare seipsam possit. Discrimen illius, quod *active* indifferens est, ab eo, quod est indifferens tantum *passive*, in eo est positum, ut hoc requirat extrinsecum agens, a quo determinetur; illud vero nequaquam. Ceterum nimis probat argumentum. Evincit enim, neque Deum in operando *ad extra* esse liberum, si omne indifferens extrinsecum, ut agat, determinante indigeat.

ARTICULUS III.

Ostenditur, qua libertate circa bonum tam finitum, quam infinitum voluntas humana fruatur.

417. **D**iximus, humanam voluntatem triplici libertate præditam esse, a *coactione*, *specificationis*, sive *contrarietatis*, & *contradictionis*, seu *exercitii*. Videndum modo, quamnam libertatem circa bonum tam finitum, quam infinitum voluntas ipsa exerceat,

PROPOSITIO I.

Humana voluntas circa quodcumque bonum est libera libertate a coactione.

418. *Probatur.* Omisso namque, humanam voluntatem cogi ad operandum non posse (§. 402.), indubia res est, bonum quodcumque naturali hominis appetitui respondere. Ergo bonum quodcumque ita ab humana voluntate respicitur, ut, quando per amorem in illud tendit, non agat invita (§. 379.).

P R O P O S I T I O II.

Humana voluntas neque circa bonum sub ratione boni, neque circa malum sub ratione mali, est libera libertate contrarietatis.

419. *Probatur.* Voluntas ita in bonum tendit, & malum fugit, ut neque bonum, quatenus bonum est, averfari ipsa possit (§. 371.); nec malum, quatenus malum, valeat ipsa appetere (§. 372.). Ergo nec circa bonum sub ratione *boni*, nec circa malum sub ratione *mali*, humana voluntas ita libera est, ut contrarios actus, amorem scilicet, atque odium, elicere queat.

C O R O L L A R I U M I.

420. *Voluntas humana non est libera libertate contrarietatis circa idem objectum, nisi quatenus istiusmodi illud est, ut & sub ratione boni, & sub ratione mali, possit ipsi voluntati representari.* Tunc enim dumtaxat potest voluntas contrarios actus circa illud elicere. Hinc

C O R O L L A R I U M II.

421. Quoniam in bono infinito clare cognito nulla apparet, neque apparere potest ratio mali, *voluntas circa bonum infinitum clare cognitum non est libera libertate contrarietatis.*

C O R O L L A R I U M III.

422. Contra vero, cum nullum sit bonum finitum, quod sub ratione *mali* nequeat voluntati exhiberi (imperfectum quippe est hoc ipso, quod est finitum), *circa bonum quodcumque finitum voluntas humana libera est libertate contrarietatis.*

C O R O L L A R I U M IV.

423. *Etiam circa bonum infinitum obscure cognitum voluntas libera est libertate contrarietatis.* Cognitio quippe obscura boni infiniti non impedit, quominus sub ratione *mali* exhiberi voluntati illud possit. Profecto, licet Deus, inquit doctissimus Suarez, secundum se sit universale bonum, apprehendi tamen potest per modum cujusdam particularis boni,

boni, & in eo apprehendi potest aliqua ratio mali, seu incommodi, saltem in ordine ad effectus ejus; multoque magis potest inveniri hac incommoditas, vel difficultas in intentione, vel amore ipsius Dei; & ideo facile potest a voluntate refutari, & interdum etiam Deus ipse odio haberi (a).

PROPOSITIO III.

Voluntas circa bonum quodcunque finitum libera est libertate exercitii.

424. *Probatur.* Bonum quodcunque finitum ejus conditionis est atque naturæ, ut sub ratione non boni exhiberi nobis possit. Omne enim finitum, quatenus finitum, imperfectum est, & omne imperfectum, quatenus tale, est non bonum. Ergo voluntas ita respicit bonum finitum, ut & appetere illud queat, & non appetere. Potest nempe illud appetere, quatenus tale est, ut sub boni ratione voluntati exhibeatur. Potest vero bonum ipsum non appetere, quatenus sub ratione itidem non boni eidem valet ostendi. Ut enim habet S. Augustinus, *nolunt homines facere, quod justum est, sive quia latet, an justum sit, sive quia non delectat* (b). Igitur voluntas ita respicit bonum finitum, ut in illo appetendo, exercitii libertate fruatur.

Confirmatur. Cum bonum finitum non sit adeo bonum, ut omnem imperfectionem excludat, volitio boni finiti non ita bona est, ut nullus in ea defectus habeatur. Igitur neque negatio illius volitionis est ita mala, ut nullo prorsus modo nobis bona videri possit. Utraque ergo contradictionis pars, scilicet appetere, & non appetere bonum finitum, potest sub ratione boni nobis exhiberi; & ideo utraque eligi a voluntate potest. In id enim tendere potest voluntas, in quo aliqua boni ratio apparet. Voluntas igitur ita amare valet bonum finitum, ut illud etiam non amare ex æquo possit.

COROLLARIUM I.

425. *Voluntas libera est libertate exercitii etiam circa bonum infinitum obscure cognitum.* Bonum quippe infinitum obscure cognitum non ita nobis se prodit, ut instar boni finiti spectari a nobis minime queat.

COROLLARIUM II.

426. *Libertas exercitii circa bonum quodcunque finitum oritur in nobis*

(a) Disputat. XIX. in *Metaph.*
Sect. 8.

(b) Lib. II. de peccatorum meritis
num. 26., alias cap. 17.

bis ex amplitudine appetitus . Eam quippe ob causam circa bonum finitum liberi sumus libertate exercitii , quia felicitatis desiderium , quod congenitum nobis est , a nullo bono finito satiari penitus potest . Ideo res temporales , inquit S. Augustinus , nemini conferunt veram felicitatem , quia non extinguunt insatiabilem cupiditatem (a).

P R O P O S I T I O I V .

Voluntas humana circa bonum infinitum clare cognitum non est libera libertate exercitii .

427. *Probatur .* Cum in bono infinito clare cognito nulla imperfectio, nullusque defectus appareat, occurrit voluntati tamquam expletivum perfectissimum sui appetitus. Eam igitur summe movet & allicit. Quippe, ut egregie advertit S. Augustinus, & experientia confirmat *tanto quidque vehementius volumus , quanto certius , quam bonum sit novimus, eoque delectamur ardentius (b).* Nequit ergo voluntas se retrahere ab amore summi boni clare cogniti, quin contra suam naturam operetur . Id autem impossibile est . Ergo ea ratione tendit in bonum infinitum, ut illud non amare in ipsius voluntatis libera non sit potestate.

Confirmatur 1. Quia, teste eodem S. Doctore, *ignorantia, & infirmitas vitia sunt, quae impediunt voluntatem, ne moveatur ad faciendum opus bonum, vel ab opere malo abstinendum (c).* At neque ignorantia, neque infirmitas locum habent, cum agitur de summo bono clare cognito. Non enim ignorantia; cum illius cognitio ponatur clara. Neque infirmitas; cum bonum positum sit summum, nempe tale, ut nihil in eo desit, quod possit optari. Ergo &c.

Confirmatur 2. Volitio boni infiniti clare cogniti est nobis adeo bona, ut illius carentia sit nobis summe mala. Summum quippe malum nobis est, quod fruitione summi boni nos privat. Ergo fieri nequit, ut voluntas ad non amandum potius, quam ad amandum summum bonum clare cognitum, se determinet. Repugnare quippe videtur, ut ex duobus extremis contradictorie oppositis voluntas illud eligat, in quo nulla ratio boni, quinimo ratio summi mali apparet, ipsumque illi praeferat, in quo ratio maximi boni manifeste cognoscitur.

AR-

(a) In Psalmum CV. num. 13.

(b) Lib. II. de peccatorum meritis
num. 26. alias cap. 17.

(c) Ibidem.

ARTICULUS IV.

An, & quomodo voluntas ab intellectu in operando dependeat.

428. **V**oluntatem dependere ab intellectu in operando, ignorat nemo. At quomodo dependeat, non una omnium sententia est. Plerique siquidem ajunt, voluntatem ita subiici intellectui, ut ad unam contradictionis partem ab illius judicio determinetur. Secus vero opinantur alii. Pro affirmativa plures Thomistarum schola citat Mastrius *Disput. VII. Metaph. q. 3.*, quos sequitur doctissimus Bellarminus *lib. III. de libero arbitrio cap. 8. prop. 6.* Pro negativa autem stant Scotistæ, Suarez *Disput. XIX. in Metaph. sect. 6.*, Becanus *P. II. Summæ Theol. tract. I. cap. 2. q. 5.*, aliique. Sit ergo pro decisione.

DEFINITIO I.

429. *Judicium theoreticum dicitur illud, quo nonnisi veritas objecti exprimitur: ut cum judicat mens, Deum esse justum, omne ens esse bonum &c.*

DEFINITIO II.

430. *Judicium practicum vocatur illud, quod intellectus dicat voluntati, aliquid faciendum esse, vel omittendum. Tale est illud, quo intellectus suggerit, colendum esse Deum, nihilque alteri faciendum, quod ne nobis fiat, ipsi etiam optamus. Practicum porro vocari hoc judicium solet; quia ordinatur ad regulandas actiones potentiæ ab intellectu diversæ. Est enim praxis, ut ex Doctore Subtili diximus in Logica, actus alterius potentiæ ab intellectu, naturaliter posterior intellectu, natus elici conformiter rationi rectæ, ut sit rectus (a).*

COROLLARIUM.

431. *Judicium practicum judicio theoretico, atque adeo etiam simplici rei perceptione, posterius est. Non enim intellectus dicere potest voluntati, hoc esse faciendum, vel non faciendum, nisi prius judi-*

(a) Vide *Exercit. I. in Logicam artic. 3.*

judicaverit, illud esse bonum, vel malum, atque ad finem consequendum aut aptum, aut prorsus ineptum.

DEFINITIO III.

432. *Judicium practicum ultimum dicitur illud, quo omnibus libris, atque expensis, intellectus dicat, hoc tandem eligendum esse, sive faciendum, vel non faciendum. Vocatur autem ultimum; quia ipsum immediate consequitur determinatio voluntatis.*

DEFINITIO IV.

433. *Motivum volitionis, & nolitionis est id, quod rationem continet, cur mens aliquid velit, aut nolit, sive quod responderetur quærenti, cur positus pluribus, ad unum potius, quam ad aliud voluntas sese determinet. Sic acquisitio scientiæ est motivum studii, si studio incumbat mens, ut rerum scientiam obtineat.*

L E M M A I.

Nulla in anima habetur volitio, nullaque nolitio in ea datur sine motivo.

434. *Probatur.* Nihil appetit mens, nihilque averfatur sine ratione, cur amore prosequatur unum, & alterum fugiat. Ut enim præteream, nihil fieri sine ratione sufficienti, cur fiat potius, quam non fiat (P. I. §. 130.), nullus est, qui si interrogetur, cur unum velit, & nolit alterum, aliquam suæ volitionis, nolitionisque causam non assignet. Ergo nulla prorsus sine motivo datur volitio in anima, nullaque in ea habetur nolitio (§. 433.).

L E M M A II.

Motivum volitionis est ratio boni, & motivum nolitionis est ratio mali, sive non boni in objecto deprehensa.

435. *Probatur.* Si quæretur enim, cur unum appetamus, & fugiamus alterum, hæc una omnium tam doctorum, quam indoctorum vox est, quia illud nobis bonum, hoc vero malum, aut non bonum deprehenditur. Ergo ratio boni percepta in objecto, motivum voli-

volitionis est, & ratio mali, sive non boni in illo itidem deprehensa est motivum nolitionis (§. 433.).

COROLLARIUM I.

436. Cum neque volitio aliqua, neque nolitio habeatur in anima sine motivo (§. 434.), nihil velle possumus, nisi sub ratione boni, nihil nolle, nisi sub ratione mali, aut non boni, illud a nobis attingatur. Quamobrem

COROLLARIUM II.

437. Nil volitum, ut fert vulgare proloquium, quin præcognitum, atque ignoti nulla cupido.

PROPOSITIO I.

Voluntas in omni sua actione necessario dependet ab intellectu.

438. Probatur. Voluntas necessario in omni sua actione dependet ab intellectu, si in incognitum ferri ipsa non possit. Constat autem, voluntatem nostram neque velle quidquam posse, nec quidquam nolle, nisi cognitum illud a nobis antea fuerit (§. 437.). Ergo nulla est actio voluntatis, quæ ab intellectu non dependeat.

PROPOSITIO II.

Voluntas non ita dependet a judicio practico intellectus, ut nulla possit esse actio voluntatis, quam practicum judicium non præcedat.

439. Probatur. Ut voluntas objectum aliquod amore prosequatur, non aliud requiritur, nisi ut sub ratione boni illud menti appareat. Habetur enim hoc ipso, quidquid necesse est habeatur, ut voluntas ad illum appetendum sese determinet, videlicet ut non sine motivo operetur (§. 435.). Opus autem non est judicio practico, ut objectum sub ratione boni menti reluceat. Cognoscitur quippe objectum, & bonum judicatur, antequam intellectus dicat, illud esse amore prosequendum (§. 431.). Ergo practico judicio non est opus, ut voluntas operetur, atque adeo non ita a judicio practico intellectus voluntas nostra in operando dependet, ut nulla possit esse voluntatis actio, quam judicium aliquod practicum non præcedat.

Dices:

Dices: voluntas nunquam agit sine ratione; est enim appetitus rationalis. Ergo nunquam agit sine iudicio practico intellectus.

R. disting. añs: voluntas nunquam agit sine ratione theoretica, vel practica, concedo añs; nunquam agit sine ratione practica, hoc est, sine iudicio dictante, hoc esse faciendum, nego añs, & conseq. Fatemur, voluntatem nunquam agere sine ratione, hoc est, sine prævia cognitione objecti. At negamus, iudicium practicum intellectus, ut voluntas operetur, semper requiri. Sicuti enim cognitio theoretica satis est, ut bonitas, vel malitia objecti menti reluceat, ita hæc plane sufficit, ut voluntas sine motivo, sive sine ratione, nunquam operetur. Verum porro est, voluntatem, proprie loquendo, dici appetitum rationalem quatenus a iudicio practico intellectus dirigitur. Hinc tamen non sequitur, ut, nisi iudicium illud præcedat, nequeat operari; sed tantum ut, cum ab ipso iudicio dirigitur, appetitus rationalis recte dicatur.

PROPOSITIO III.

Nullum iudicium practicum ita movet voluntatem, ut ipsam necessario determinet.

440. *Probatur primo auctoritate. Docet enim Aristoteles, esse nonnullos, qui melius opinantur, ob vitium tamen ea, qua non decent, eligere consueverunt (a): quod perinde est, ac si dixisset, nonnullos, vitii causa, contra iudicium practicum intellectus operari, juxta illud Poetæ:*

video meliora, proboque

Deteriora sequor.

Hoc est, ita ago, ut non sequar iudicium rationis, mihi dictans, hoc melius esse, atque faciendum, illud vero malum, adeoque fugiendum, sed ita, ut, quod fugerit concupiscentia, amplectar. His accedit S. Bernardus. *Habet sane, inquit mellifluus Doctor, voluntas, quocunque se voverit, semper rationem comitem, & quodammodo pedissequam, non quod semper ex ratione, sed quod nunquam absque ratione moveatur, ita ut multa faciat per ipsam contra ipsam, hoc est, quasi per ejus ministerium, contra ejus consilium, sive iudicium (b). Neque juvat opponere, S. Doctorem loqui de iudicio practico rationis recte, non vero de quocunque iudicio. Non valet, inquam; quia,*
fi

(a) Lib. III, *Moralium ad Nicomachum*
cap. 2.

(b) *Tract. de gratia, & libero arbitrio.*

si iudicium *recte rationis* non ita movet voluntatem, ut ipsam necessario determinet, nullum profecto iudicium est, quod valeat voluntatem necessario determinare. Iraque tam longe videtur a veritate, ut aliquod iudicium practicum intellectus necessario determinare voluntatem ad operandum possit, quin potius nullum sit iudicium, cui voluntas nequeat dissensu suo apertissime refragari.

*Probat*ur 2. *ratione*. Voluntas, posito quocunque iudicio practico intellectus, aut libera est, aut non est libera. Si est libera: ergo a iudicio non determinatur, sed potest, secus ac illud dicitur, otiosa consistere. Si vero non est libera: ergo iudicium practicum intellectus privat voluntatem libertate. Absurdum autem id quamma-xime est. Enimvero, quemadmodum ait S. Bernardus, *est ratio data voluntati, ut instruat illam, non destruat. Destrueret autem, si necessitatem ei ullam imponeret, quominus libere pro arbitrio sese voveret, sive in malum consentiens appetitui, aut nequam spiritui, ut sit animalis, non percipiens, vel certe non persequens ea, qua sunt spiritus Dei; sive ad bonum gratiam sequens, ut fiat spiritualis, qua omnia dijudicans, ipsa minime iudicetur; si, inquam, horum quodlibet, prohibente ratione, voluntas non posset, voluntas jam non esset. Ubi quippe necessitas, jam non voluntas* (a). Ergo &c.

Confirmatur. Positis omnibus, quibus ad agendum est opus, potest voluntas non operari, adeo nempe ut adhuc maneat ad utramque contradictionis partem intrinsecus indeterminata. In hoc enim libertas exercitii posita est (§. 388.). Operationes autem intellectus, atque adeo etiam iudicium illius practicum, non respiciunt voluntatem, nisi tamquam praequisita ad illius actiones. Ergo, posito quocunque iudicio practico intellectus, potest voluntas non operari; adeoque &c.

Præterea vel omne iudicium practicum intellectus necessario determinat voluntatem, vel aliquod tantum. Si omne: ergo voluntas non agit libere, quando juxta dictamen intellectus operatur. Si aliquod tantum, vel id præstat, quatenus iudicium practicum est, vel quatenus circa tale objectum versatur. Si primum: ergo omne iudicium practicum id præstare debet. Sin alterum: ergo objectum finitum, secus ac superiori loco demonstravimus (§. 424.), tantam efficaciam habet ex se, ut valeat voluntatem necessario ad operandum determinare.

Dices, voluntatem non determinari ab omni iudicio practico intellectus, sed ab eo tantum, quod ultimum est.

Con-

(a) *Tract. de gratia, & libero arbitrio.*

Contra: quia vel iudicium, quod dicitur ultimum, habet a determinatione voluntatis, ut sit ultimum, vel id habet ex se. Si hoc alterum: ergo voluntas non est libera; cum non sit in illius potestate iudicium, quod ei placet, amplecti. Sin primum: ergo voluntas a nullo iudicio intellectus determinatur, sed, posito quocunque iudicio, ipsa est, quæ ad operandum, prout unum illorum dicitur, sese determinat.

Objecta diluuntur.

Contra postremam hanc propositionem arguitur *primo*: si nullo iudicio practicum intellectus necessario determinaret voluntatem, operari ipsa posset sine motivo: Hoc autem falsum est. Ergo &c. *Prob. seq. majoris*; si enim posito iudicio dictante, hoc esse faciendum, posset voluntas se determinare ad oppositum, hæc determinatio esset sine motivo. Nihil quippe tunc habetur, quod sit ratio, cur voluntas ad oppositum sese determinet. Ergo &c.

R. neg. seq. majoris, & auct. probationis. Potest namque voluntas se determinare ad oppositum, ut sua utatur libertate; cumque hoc motivum semper habeat locum, cum agitur de amplectendo, vel non amplectendo bono finito, nullum est iudicium practicum de istiusmodi bono, quod valeat voluntatem necessario determinare.

Dices cum doctissimo Bellarmino, iudicium de exercitio propriæ libertatis esse illud ultimum, de quo in præsens agimus. Ergo, cum illud sequatur voluntas, ab illo determinatur.

R. neg. conseq. nam licet voluntas sequatur iudicium de exercenda propria libertate, & ideo iudicium illud sit ultimum, non propterea a tali iudicio voluntas necessario determinatur. Ipsa est enim, quæ se determinat, & quidem libere, ad non operandum, prout iudicium primum dictabat, sed ad exercendam suam libertatem. Sequitur ergo iudicium de exercitio suæ libertatis; verum ita, ut ad aliud iudicium sequendum sese determinare potuerit.

Arguitur 2. Voluntas nihil eligit sine præcedente actu rationis, sive sine iudicio practico intellectus. Ergo a tali iudicio determinatur.

R. transeat atts, & nego conseq. Aliud est enim, voluntatem nunquam se determinare ad aliquid faciendum, vel non faciendum sine prævio aliquo iudicio dictante ipsi voluntati, ut ita se gerat, aliud vero, voluntatem ad unam contradictionis partem necessario a iudicio intellectus determinari. Potest namque esse verum, ut sine prævio iudicio practico intellectus nunquam agat

voluntas, quin verum sit, eam non determinare seipsam, sed ab illo determinari. Profecto, omnium sententia, voluntas nunquam operatur sine pravâ theoretica cognitione objecti, neque tamen ab hac cognitione necessario determinatur, sicuti neque ignis determinatur ab appropinquatione ad comburendum lignum, licet fieri nequeat, ut sine appropinquatione combustio habeatur. Itaque sicuti appropinquatio non est nisi conditio necessario prærequisita, ut ignis id præstet, ad quod per suam naturam determinatum est; ita iudicium practicum potest esse tantum conditio necessario prærequisita, ut voluntas ad unum sese determinet.

Dices: voluntas nunquam agit contra ultimum iudicium practicum intellectus. Ergo ab illo determinatur.

R. disting. añs: voluntas nunquam agit contra ultimum iudicium practicum intellectus, hoc est, contra illud, juxta quod reipsa operatur, *concedo añs;* nunquam agit contra ultimum iudicium practicum intellectus, hoc est, ita sequitur iudicium, quod sequitur, ut illud non sequi minime potuerit, *nego añs, & conseq.* Facta igitur hypothesi, ut voluntas semper sequatur iudicium aliquod practicum intellectus, repugnat profus, ut contra ultimum se gerat, videlicet ut juxta illud non operetur, juxta quod jam operatur. Verum inferre hinc nequaquam licet, voluntatem a iudicio, quod sequitur, nempe a iudicio ultimo, necessario determinari. Ita nempe illud sequitur, ut ipsum non sequi ex æquo potuerit.

Arguitur 3. Non agit voluntas, quamdiu iudicium intellectus indeterminatum est. Ergo, quando agit, ideo agit, quia a iudicio determinato intellectus determinatur.

R. neg. conseq. Ex eo enim, quod non agat voluntas, nisi habeatur iudicium intellectus determinatum, non sequitur, ipsam a tali iudicio determinari, sed tantum determinatum iudicium intellectus requiri, ut illa deinde sese determinet. Profecto non operatur voluntas, ut diximus, nisi adsit theoretica objecti cognitio, neque tamen ab istiusmodi cognitione voluntas ipsa determinatur.

Arguitur 4. Si voluntas eligere aliquid posset contra iudicium intellectus, posset peccare, quin aliquis error in intellectu haberetur. Hoc autem falsum est; cum juxta divina oracula, errent, *qui operantur malum* (a). Ergo nequit voluntas iudicio intellectus ita refragari, ut, contra ac illud dicat, sese determinet.

R. neg. min. Falsum est enim, voluntatem peccare non posse sine errore in intellectu. Angelorum quippe, primique parentis peccatum

Phil. Ment. T. II.

B b

non

(c) *Proverb. 14. v. 22.*

non fuit ex ignorantia, cum hæc non præcesserit culpam, sed ex pura malitia, scilicet a voluntate neque illecta ab appetitu sensitivo, neque a ratione errante decepta. *Alia enim, teste S. Augustino, sunt peccata infirmitatis, alia imperitia, alia malitia* (a). Neque officit, errare, *qui operantur malum*; errant quippe, qui a regula sibi præfixa recedunt; ac proinde tam intellectus errare potest, quam voluntas, ille scilicet recedendo a vero, hæc a bono defleſcendo. Ceterum, cum doceat Scriptura, peccatum esse *sciendi bonum facere, & non facienti*, manifeste apparet, juxta divinam Scripturam fieri peccatum posse, quin error in intellectu habeatur.

S E C T I O T E R T I A.

De memoria.

441. **H**Actenus de intellectu, & voluntate, nunc de memoria dicendum est. Ea est autem hujusce facultatis præstantia, ut nihil utilius, nihilque ad eruditionem aptius collatum homini videatur. Parum certe referret, multa a nobis legi, audiri, animadverti, si memoria illa mandare animo minime valeremus.

D E F I N I T I O.

442. Est igitur *memoria* ea vis animæ, qua, *independenter ab omni prorsus externorum organorum immutatione, præterita rei notitiam ita, quamprimum vult, mens ipsa reproducit, ut, rem eandem antea ab se fuisse cognitam, simul sit conscia*. Circa præterita enim, prout præterita, quemadmodum norunt omnes, versatur *memoria*, sicuti circa præsentia, prout præsentia sunt, tam sensus, quam intellectus occupatur.

S C H O L I O N.

443. Requiritur ad *memoriam* primo, ut præteritæ rei notio reproducat in anima, quin aliqua vel minima mutatio in externis sensoriiis tunc contingat. Si enim sensoria iterum immutentur, rei perceptio, quæ hinc oritur, non *memoria* est, sed, perinde atque antea, vera *sensatio*. Requiritur *secundo*, ut conscia sit mens, rem, cujus notionem reproducit, ab se fuisse cognitam. Secus namque, reproductio illius cognitionis non est *memoria*, sed *reminiscentia*. Re-
cor-

(a) Lib LXXXIII. *Questionum* q. 26.

cordatio dicitur, inquit Nemesius, cum oblivio memoriam interruperit. Est enim recordatio memoria, quæ evanuerit, recuperatio. Evanescit autem per oblivionem. Oblivio porro memoria amissio est (a).

L E M M A.

Humana mens juncta corpori nequit præterita rei notionem reproducere, nisi illa eadem in cerebro iterum excitetur motio, quæ facta in eodem fuit, cum rem ipsam mens primo novit.

444. *Probatur. Nullius sive sensibilis, sive insensibilis rei notionem in se producere potest mens juncta corpori, nisi certa in cerebro motio contingat, ut ex iis, quæ de mutuo utriusque substantiæ commercio dicta sunt, satis patet. Ergo nullius quoque rei notionem reproducere mens ipsa potest, nisi illa eadem motio iterum in cerebro peragatur. Eadem enim ratio utrobique est, ut rem attento expedenti animo perspicuum fiet.*

C O R O L L A R I U M I.

445. *Nequit igitur humana mens, quamdiu juncta est corpori, rem, antea ab se cognitam, in memoriam revocare, nisi in cerebro illa iterum motio excitetur, quæ peracta in eodem fuit, cum ipsa res menti primo innotuit. Revocatur enim res in memoriam, cum illius notio reproducitur (§. 442.).*

C O R O L L A R I U M II.

446. *Quoniam porro ad memoriam necesse est, ut rei notio reproducatur in anima, quin externa sensoria vel levissime immutentur (§. 442.), relinquitur, opus quoque esse ad memoriam, ut, quin in iisdem sensoriis aliqua mutatio contingat, illa eadem motio iterum in cerebro excitetur, quæ dependenter ab organorum sensoriorum immutatione in eodem peracta fuit, cum notionem rei, quam in memoriam revocat, mens primo produxit.*

P R O P O S I T I O U N I C A .

Memoria humana mentis, quamdiu corpori juncta est, necessario dependet a mechanica quadam fibrarum cerebri affectione, ex prima rei notitia ab illis contracta, ratione cujus ad nutum solius animæ moveri deinde possit eodem modo, eodemque ordine, quo movebantur, cum rem præteritam mens ipsa primo novit.

447. *Probatur.* Mens humana, quamdiu corpori juncta est, nullam rem revocare in memoriam potest, nisi ea iterum in cerebro citeretur motio, quæ facta in eodem fuit, cum res illa menti primo innotuit (§. 445.). Necesse est autem, ut illa motio ita ad nutum solius animæ iterum in cerebro fiat, ut externa sensoria tunc nullatenus immutentur (§. 446.). Ergo necesse est ad memoriam, ut aliquid ex prima rei cognitione relictum in cerebro fuerit, ratione cujus moveri illius fibræ, ut antea, quamprimum vult anima, iterum possint. Id autem non potest esse, nisi mechanica quadam affectio ex prima rei cognitione ab ipsis fibris contracta. Ergo &c.

S C H O L I O N .

448. Nemo ex me quærat, ut mechanicam hanc affectionem in fibris cerebri ex prima rei cognitione, memoriæ gratia, relictam physice explicem. Id enim palam fieri ab eo tantum potest, qui noscit optime, quomodo ipsæ fibræ, cum ideam rei mens primo producit, moveantur.

Memoria phenomena explicata.

I.

449. *Exercitatio memoria augetur, plurimumque perficitur.* Cum enim per exercitium ea in cerebro sæpe fiat motio, cui idea rei in anima respondet, illius fibræ, spirituum animalium iterata actione, sive impulsu, ita expeditæ fiunt ad motionem ipsam concipiendam, ut, sola accedente voluntate, eam deinde arripiant.

I I.

450. *Facilius revocantur in memoriam, quæ actione externorum sensuum, quam quæ solius imaginationis ope attinguntur.* Validius enim in externa, quam in interna sensatione fibræ cerebri commoventur; unde facilius quoque motum in externa sensatione perceptum, quamprimum vult anima, iterum concipiunt. Hinc ægre eorum, quæ somniantes vidimus, recordamur; facile vero eorum, quæ vigilantes percepimus.

I I I.

451. *Juvenes melioris sunt memoria, quam aut pueri, aut senes.* Puerorum quippe cerebrum mollius est, quam ut illius fibræ receptam in prima rei cognitione impressionem servare possint. In senibus vero cerebri fibræ, utpote nimis rigidæ, nullam ferme impressionem ex illo spirituum animalium motu, cui prima rei notio respondet, recipiunt. At fibræ juvenilis cerebri, utpote neque nimis rigidæ, neque nimis laxæ; impressionem ex motu spirituum animalium & recipiunt facile, & diu servant.

I V.

452. *Qui memori animo facile res mandare solent, earundem facile obliviscuntur.* Contra vero diuturnæ memoria sunt, qui ægre, quod discunt, illi committunt. Fibræ enim cerebri eam impressionem amittunt, quam facile recipiunt. Illa vero ægre privantur, quæ nonnisi cum difficultate in ipsis efficitur,

V.

453. *Tam nimia cerebri siccitas, quam nimia ejusdem humiditas plurimum memoria officit.* Illa enim impedit, quominus ipsius cerebri fibræ impressionem ex eo spirituum animalium motu recipiant, qui in cerebro excitatur, cum res percipitur. Hæc vero efficit, ut receptam impressionem nequaquam servant.

V I.

454. *Memoria lædi a causis materialibus potest, quemadmodum & ab iisdem perfici.* Lædi potest a causis materialibus, quia non solum possunt

Phil Ment. T. II.

B b 3

sunt

sunt ab illis destrui eæ impressiones factæ in fibris cerebri; a quibus, ut ostensum est, *memoria* dependet; verum etiam quia potest ab iisdem causis fieri, ut ipsæ fibræ ineptæ deinde sint ad eas impressiones vel recipiendas, vel conservandas, quatenus nempe reddi possunt vel nimis rigidæ, vel nimis laxæ. Sic morbi acuti, & quidem potissimum qui in capite sedem habent, ita plerumque *memoria* officiant, ut eam plane extinguant. Irregulares siquidem motus tunc fiunt in cerebro, & quidem adeo vehementes, ut mechanicam fibrarum cerebri dispositionem penitus mutant. Similiter, senescente homine, *memoria* sensim perit; quia cum, ineunte ætate, fibræ cerebri rigidiores fiant, ineptæ paulatim redduntur ad eas motiones, quamprimum vult anima, iterum concipiendas, quibus præteritæ rerum notiones responderant. Ceterum mirum ne videatur, a causis materialibus *memoriam* lædi. Ut enim recte observat Cl. Volfius, *non major est difficultas in destructione memoria per causas materiales admittenda, quam quæ esse potest, ubi admittere debes, hominem, artis saltandi peritum, fractis, cruribus, non posse saltare amplius: quod enim in posteriori casu minus percipiatur, quam in priori, causa non alia subest, quam quod motus fibrillarum nervearum in productione idearum materialium, & earum lesio non aequè in sensu incurrat, quemadmodum motus pedum, & cruris fractura in saltando (a).* Sicuti porro *memoria* labefactari potest a causis materialibus, ita potest ab iisdem perferri. Fibræ siquidem cerebri eam temperiem, medicamentorum ope, obtinere queunt, qua opus est, ut illam impressionem ex Spirituum animalium motu facile recipiant, & optime servant, a qua *memoria* mentis nostræ, quamdiu juncta manet corpori, necessario dependet. Quæ autem sint ea, quibus *memoria* melior, majorque fit, non est Metaphysici determinare.

(a) Psychol. ration. in not. ad §. 294.



METAPHYSICES

PARS TERTIA.

THEOLOGIA NATURALIS,

sive

DE DEO.



Hilosophiæ, ut egregie more suo observat S. Augustinus, duplex potissimum quæstio est: *una de anima, altera de Deo. Prima efficit, ut nosmetipsos noverimus, altera ut originem nostram. Illa nobis dulcior, ista carior. Illa nos dignos beata vita, beatos hæc facit. Prima est illa discantibus, ista jam doctis* (a). De prima satis, ut arbitror, quinimo fortasse plusquam satis, actum est. Remanet ergo, ut de altera, quantum ad Metaphysicum attinet, agamus. Solet autem hæc Metaphysicæ pars *naturalis Theologia* nomine designari. *Theologia* dicitur quia circa Deum, veluti circa proprium objectum, tota versatur; *naturalis*, quia sola naturali ratione in eo considerando procedit. Duas ergo Dissertationes hæc postrema Metaphysicæ pars complectetur. Altera erit de *existentia Dei, ejusque præcipuis attributis*. Altera de *providentia, deque divino ad omnes creaturarum actiones concursu, ipsarumque creaturarum ad agendum præmotione*.

B b 4

DIS.

(a) Lib. II. de Ordine num. 47.
alias cap. 18.

DISSERTATIO I.

De existentia Dei, ejusque præcipuis attributis.

DE Deo, quantum ad Metaphysicum spectat, acturi, expendemus primo, an ratione naturali possit illius existentia ostendi; tum divinæ essentiæ attributa præcipua considerabimus.

SECTIO PRIMA.

Deum existere demonstratur.

r. **A** *Theus* dicitur, qui supremi Numinis existentiam inficiatur ac plane rejicit. Nonnullos fuisse olim, & forte esse etiam modo, qui nullum extare Deum putent, turpiterque contendant, videtur citra dubium. *Pauci inveniuntur tantæ impietatis*, inquit S. Augustinus, *ut impleatur in eis, quod scriptum est: dixit stultus in corde suo: NON EST DEUS. Insania ista paucorum est* (a). Itaque inter *atheos* numerat Sextus Empiricus (b) Diagoram Melium, Prodicum Ceum, Euhemerum, Critiam, Theodorum, Protagoram Abderitem, & Epicurum, quorum aliqui etiam a Tullio memorantur (d). Epicurus porro, etsi videatur verbis reliquisse Deos, eos tamen, ne quid, ut idem Tullius ait (d), invidiæ subiret, aut criminis, re plane sustulit. Dicebat quippe, *præter universum, nihil esse quod in id ingressum, mutationem operaretur* (e); atque ex atomis effectum esse cælum atque terram, *nulla cogente natura, sed concursu quodam fortuito* (f). Epicurum imitatus nuper est Benedictus Spinosa, natione Judæus, nomine, non fide Christianus, natus Amstelodami anno 1632., denatus Hagæ Comitum anno 1677., ætatis suæ 45. Perinde quippe, ac Epicurus, *quod attinet quidem ad vulgum, reliquit Deum; quod vero spectat ad rerum naturam, nequaquam* (g). Docet enim, unam esse eandemque Dei, mundique substantiam, cujus duæ sunt proprietates, magnitudo, & intelligentia; unde quæcunque in mundo sunt, sive corporeæ, sive intelligentis naturæ, non aliud esse, ait, nisi

(a) Serm. LXIX. In Matthæum.

(b) Lib. VIII. adversus Mathematicos.

(c) Lib. I. de natura Deorum cap. 23.

(d) Lib. III. de natura Deorum cap. 1.

(e) Epist. ad Herodotum apud Laertium.

(f) Tullius lib. I. de natura Deorum cap. 24.

(g) Sextus Empiric. lib. I. ad v. Mathem.

nisi totidem Divinæ essentiæ modos, eosque omnes; nempe, singula, quæ fiunt in mundo, ex necessitate contingere. Duo, inquit Vir doctissimus, quantum ego intelligo, Spinosiano in systemate præcipue spectanda sunt. Primum idemque præcipuum, unam dumtaxat, Spinozæ sententia, esse in rerum natura substantiam, quam Deum nominat, cujusque proprietates primariæ, seu attributa, sunt cogitatio, & extensio, ad quas particulares res, veluti modi, sequuntur; quæ proinde in Deo sunt, ut in immanente causa. Alterum est, Deum ex solis suæ naturæ legibus, hoc est, ex absoluta naturæ suæ agere necessitate (a). Deum a materia prima minime differre, David quoque de Dinando, ut refert S. Thomas (b), impiè olim contenderat. Contra hos itaque omnes videndum modo, an, supremum aliquod extare Numen, possit naturali ratione ostendi.

DEFINITIO.

2. Dei nomine intelligitur ens a se, atque adeo necessario existens, plenum rationis, atque consilii, a quo adspectabilis mundus, quaque in illo sunt, condita fuerint, & facta regantur. Hæc definitio nominalis est. In ea tamen consentire omnes, arbitror inficiari posse neminem. Ut enim habet Cicero, Deus, qui intelligitur a nobis, non alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quadam & libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque prædita motu sempiterno (c).

PROPOSITIO UNICA.

Evidens est, evidentia physica, Deum existere.

3. Loquar de evidentia physica, nempe de ea, quæ licet non sit omnium maxima, sufficit tamen ad extorquendum assensum constantem atque firmum, non a protervo, deque omnibus dubitante, certo a viro docili, veritatisque amatore ingenuo. Rem quippe cum iis agere, in animo mihi non est hoc loco, qui adeo inficiantur omnia, ut ne ipsa quidem prima cognitionis principia, etsi evidentissima sint, pro veris sine dubitatione admittant.

4. Deum

(a) P. Bonaventura Lucchi Prof. Patav. Syntag. Spinosismi.

(b) Lib. I. contra Gentes cap. 17.

(c) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 17.

I.

4. Deum itaque exiſtere, ex perpetuo conſtantique omnium nationum, populorumque conſenſu in primis oſtenditur. Huius autem argumenti quantum ſit pondus, quanta vis, nemo cordatus neſcit. Ut enim præclare animadvertit Guillelmus Pariſienſis, *quod natura univerſaliter, & naturaliter conſitetur, neceſſe eſt, verum eſſe. Naturam enim naturaliter, & univerſaliter mentiri, impoſſibile eſt* (a). Omnes porro gentes, nationes omnes, quantumvis feras ac barbaras, in id perpetuo conſenſiſſe, ut ſupremum aliquod Numen admitterent, adeo apertum eſt, ut negari ab eo tantum poſſit, qui in hiſtoriis plane hoſpes fuerit. *Nulla gens eſt, inquit Tullius, neque tam immanſueta, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum ſciat* (b). *Nec vero id, eodem Tullio teſte, colloquutio hominum, aut conſenſus efficit. Non inſtitutiſ opinionio eſt confirmata, non legibus* (c); ſed ipſi divinitati referendum eſt acceptum: dicendum nempe, Divinæ naturæ eam eſſe vim, ut creatura rationali jam ratione utenti, non omnino ac penitus poſſit abſcondi (d). Et ſane, niſi id cognitum, comprehenſumque animis haberemus, non tam ſtabilis, inquit laudatus Romanæ eloquentiæ Princeps, opinio permaneret, non confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum ſæculis ætatibusque hominum inveterare potuiſſet. Etenim videmus, ceteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuſſe. Quis enim hyppocentaurum fuiſſe, aut chimeram putat? quæve anus tam excors inveniri poteſt, quæ illa, quæ quondam credebantur apud inferos portenta, extimeſcat? Opiniorum enim commenta delet dies, naturæ iudicia confirmat (e). Non officit autem, quorſdam fuiſſe olim, & forte eſſe etiam modo, qui nullum extare Deum putent; quippe, ut egregie obſervat Grotius, paucitas ipſa, & quod ſtatim, intellectis argumentis, rejecta univerſim eſt eorum opinio, oſtendit, non provenire hoc ex uſu rectæ rationis, quæ hominibus communis eſt; ſed aut ex ſtudio novitatis, quale tenebatur, qui nivem atram eſſe contendebat? aut ex mente corrupta, ſicut vitiato palato res, non ut ſunt, ita ſapiunt, præſertim cum hiſtoriæ, & alia ſcripta do-

(a) Lib. de virtute cap. 2.

(b) Lib. I. de legibus cap. 8.

(c) Lib. I. qq. Tuſcul. cap. 13.

(d) S. Auguſt. Tract. in Joan. CVI. num. 4.

(e) Lib. II. de natura Deorum c. 2.

doceant, quo quisque fuit probior, eo diligentius ab ipso custoditam de Deo notitiam; atque adeo a pravo ingenio, eorum maxime, quorum interest, ne quis sit Deus, idest humanarum actionum iudex, venire hanc a tam recepta antiquitus sententia dissensionem, vel hinc apparet, quod quidquid illi ponunt, sive generum successionem absque ullo primordio, sive atomorum concursum, sive aliud quidvis, id non minores, si non majores, habere difficultates, neque eo, quod receptum est, magis esse credibile, cuius ad rem mediocriter attendenti satis apparet (a).

I I.

5. Ceterum notionem Dei, quam habemus, inter infantiae præjudicia, ut atheus fortasse contendet, non nisi falso ac temere posse constitui, patebit ad evidentiam, si palam fiat, opinionem de existentia supremi alicujus Numinis constanti eorum omnium vetustissimorum Philosophorum firmatam esse consensu, qui maximo in pretio ante actis temporibus habiti sunt, & nunc etiam merito optimoque jure habentur. Neque enim sine maxima temeritatis nota contendere aliquis potest, præjudicatam opinionem adeo in illis valuisse, ut prohibuerit prorsus, ne verum in re tanti momenti eorum aliquis viderit. Itaque ab Hermete Trismegisto, qui verustissimus omnium est, exordium sumo. Porro tam præclare is de Deo scripsit, divinamque naturam adeo eleganter expressit, ut suam ab Moysæ doctrinam hausisse videatur. *Gloria omnium Deus, inquit Vir summus, divinum, divina natura, principium universorum Deus, mens, natura, actus, necessitas, finis, & renovatio* (b). *Universum mundum verbo, non manibus fabricatus est Opifex. Ipsum vero sic cogita, illum præsentem semper, agentem omnia, Deum unicum voluntate sua cuncta constituentem. Id enim ejus corpus est, non tangibile, non visibile, non dimensum, non distans, nec alterius cujusquam simile. Nam nec ignis, nec aqua, nec aer, nec & spiritus; verum ab eo hæc pendent omnia. Bonum vero ita est, ut sibi soli id competat* (c). Post Hermetem occurrit Thales Milesius, unus e septem: cui sex reliquos concessisse primas ferunt (d). Hic inter plura ab eo egregie tradita illud, Laertio teste, solemne habuit, antiquissimum eorum omnium, quæ sunt, DEUS; ingenitus enim. Pulcherrimum Mundus; a Deo enim factus est (e) Thaleti mirifice

con-

(a) Lib. I. de veritate Relig. Christianæ
cap. 2.

(b) In Pimandro cap. 3.

(c) Ibidem cap. 4.

(d) Tullius lib. IV. qq. Academ. cap. 27.

(e) In vita Thaletis.

consensit Anaxagoras Clazomenius. Dixit enim: una omnes res erant; mens vero distraxit illas, decenterque composuit; unde, auctore Plutarcho, probandus hic vel eo maxime, quod materia Opificem adjunxit (a). Pythagoræ sectatores, ut refert Clemens Alexandrinus, Deum quidem unum esse, dicebant, non ita tamen, ut quidam opinantur, quasi sit extra mundi administrationem, sed est totus in ipsa, in toto circulo, speculator totius generationis, universorum contemperatio, qui semper est, & suas facultates deducit ad opus, omnium operum in cælo illustrator, pater omnium, mens, & animatio totius circuli, omnium motus (b). Plato, referente Laertio, duo omnino esse, docuit, rerum principia, Deum, atque materiam, illum & mentem, & causam appellat. Esse autem materiam informem, & infinitam, ex ea concretiones fieri. Ea cum aliquando temere, & inordinate moveretur, ait, a Deo in locum unum coactam; ac proinde totius generationis causam esse Deum, quod boni sit benefacere. Parro cæli generationis auctorem summe bonum esse atque excellentissimum (c). Non secus autem de Deo Aristotelem quoque sensisse, idem Laertijs auctor est. Scribit enim: Deum, sicut & Plato, incorporalem definiit (Aristoteles); ejusque providentiam ad cælestia usque pertinere; ipsum vero immobilem esse (d). Tullius demum (nimis quippe in longum iret oratio, si vellem celebriores omnes Philosophos in medium adducere) sub Cottæ persona ita Stoicum Balbum alloquitur: non mediocriter moveor auctoritate tua, Balbe, orationeque ea, quæ me in perorando cohortabatur, ut meminissim, me & Cottam esse, & pontificem. Quod eo credo valebat, ut opiniones, quas a majoribus accepimus de Diis immortalibus, sacra, caeremonias, religionesque defenderem. Ego vero eas defendam, semper, semperque defendi; nec me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu Deorum immortalium, ullius unquam oratio aut docti, aut indocti movebit (e). Quid autem Dei nomine intellexerit Vir summus hisce verbis descriptum reliquit, ut superiori etiam loco monuimus: Deus ipse, qui intelligitur a nobis, non alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quadam, & libera, segregata ab omni concretionem mortali, omnia sentiens & movens, ipsaque predata motu sempiterno (f). Videant ergo, qui Tullium, aliosque etiam, quos modo laudavimus, celebriores Philosophos, non aliter de Divina natura sensisse, ajunt, ac nuper de illa impius Spinosa commentus est. Quamvis enim parum caute de Deo loquuti interdum fuerint, non propterea dicendum videtur, nul-

(a) Lib. I. de placitis Philos. cap. 3.

(d) In vita Aristotelis.

(b) Adamon. ad Gentes Tom. III.

(e) Lib. III. de natura Deorum cap. 2.

Bibl. Patrum.

(f) Lib. I. qq. Tuscul. cap. 27.

(c) In vita Platonis.

nullum inter Dei, mundique substantiam ab illis positum ex animo fuisse discrimen. Simplicitati illorum temporum venia danda est: neque contra celeberrimos Viros rem agere a deo inique debemus, ut ex uno tantum, vel altero loco colligatur ipsorum mens; quæque minus castigata quandoque dixerant, in pejorem sensum detorqueantur.

I I I.

6. Ut autem ad ipsa rationis momenta veniamus, quis mundum contuens, Deum esse non sentiat (a)? *Ordinatissima enim sua mutabilitate, inquit S. Augustinus, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrima specie, quodammodo tacitus, & factum se esse, & nonnisi a Deo ineffabiliter atque invisibiliter magno, & ineffabiliter atque invisibiliter pulchro, fieri se potuisse proclamat (b).* Certe, quemadmodum præclare olim etiam adverterat Trismegistus, locum, vel numerum, vel mensuram servare absque auctoris virtute, impossibile est. Ordo fieri a deformitate nequit. Eget deformitas Domino, qui ordinem præbeat (c). Sed licet jam, ut loquar cum Tullio, remota subtilitate disputandi, oculis quodammodo contemplari pulchritudinem rerum earum, quas divina providentia dicimus constitutas. At principio terra universa cernatur, locata in media Mundi sede, solida & globosa, & undique ipsa sese nutibus suis conglobata, vestita floribus, herbis, arboribus, frugibus; quorum omnium incredibilis multitudo insatiabili varietate distinguitur. Adde huc fontium gelidas perrenitates, liquores perlucidos amnium, riparum vestitus viridissimos, speluncarum concavas altitudines, saxorum asperitates, impendentium montium altitudines, immensitatesque camporum. Adde etiam reconditas auri argentique venas, infinitamque vim marmoris. Quæ vero, & quam varia genera bestiarum, vel cicurum, vel ferarum? qui volucrum lapsus atque cantus? qui pecudum pastus, quæ vita silvestrium? Quid jam de hominum genere dicam? qui quasi cultores terræ constituti, non patiuntur, eam nec immanitate belluarum esferari, nec stirpium asperitate vastari, quorumque operibus agri, insula, litoraque collucent distincta testis & urbibus: quæ si, ut animis, sic oculis videre possemus, nemo, cunctam intuens terram, de divina ratione dubitaret. At vero quanta maris est pulchritudo? quæ species universi? quæ multitudo & varietas insularum? quæ amanitates orarum & litorum? quot genera, quamque disparia partim submersarum, partim fluitantium, & inna-

(a) Hilarius in psal. LII.

(c) In Pimandro cap. 5.

(b) Lib. XI. de civitate Dei cap. 4.

innatantium belluarum, partim ad saxa nativis testis inherentium? Ipsum autem mare, sic terram appetens, litoribus eludit, ut una ex duabus naturis conflata videatur. Exinde mari finitimus aer die, & nocte distinguitur; isque tum fusus & extenuatus sublime fertur; tum autem concretus in nubes cogitur, humoremque colligens, terram auget imbribus; tum effluens huc & illuc, ventus efficit. Idem annuas frigorum, & calorum facit varietates; idemque & volatum alitum sustinet, & spiritu ductus alit, & sustentat animantes. Restat ultimus, & a domiciliis nostris altissimus, omnia cingens & coercens cæli complexus: qui idem aether vocatur, extrema ora, & determinatio mundi in quo cum admirabilitate maxima ignea forma cursus ordinatos definiunt. E quibus Sol, cujus magnitudine multis partibus terra superatur, circum eam ipsam volvitur, isque oriens, & occidens diem noctemque conficit; & modo accedens, tum autem recedens, binas in singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit: quarum intervallo tum quasi tristitia quadam contrahit terram; tum vicissim letificat, ut cum cælo hilarata videatur? Luna autem, qua est, ut ostendunt mathematici, major quam dimidia pars terræ, iisdemque spatiis vagatur, quibus Sol; sed tum congre- diens cum Sole, tum digrediens, & eam lucem, quam a Sole accepit, mittit in terras, & varias ipsa mutationes lucis habet; atque etiam tum subjecta atque opposita Soli, radios ejus & lumen obscurat; tum ipsa incidens in umbram terræ, cum est e regione Solis, interpositus interjectuque terræ, repente deficit, iisdemque spatiis hæc stellæ, quas vagas dicimus, circum terram feruntur, eodemque modo oriuntur, & occidunt; quarum motus tum incitantur, tum retardantur, sæpe etiam insistent. Quo spectaculo nihil potest admirabilius esse, nihil pulchrius. Sequitur stellarum inerrantium maxima multitudo: quarum ita descripta distinctio est, ut ex notarum figurarum similitudinem nomina invenerint (a). Hæc igitur qui serio animadverterit, attentoque fuerit animo contemplatus, non dubito, quin eo tandem veniat, ut nobiscum fateatur, eximiam Mundi machinam, quæque in illo sunt corpora, sine ratione atque consilio fieri minime potuisse. An cum machinatione quadam, inquit laudatus elegantissimus Cicero, moveri aliquid videmus, ut spheram, ut horas, ut alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis; cum autem impetum cæli admirabili cum celeritate moveri vertique videamus, constantissime conficientem vicissitudines anniversarias, cum summa salute, & conservatione rerum omnium, dubitamus, quin ea non solum ratione fiant, sed etiam excellenti quadam divinaque ratione. (b) ? Luber itaque argumentum, ita paucis cum

Chry-

(a) Lib. II. de natura Deorum cap. 39.

(b) Ibidem cap. 38.

Chryssippo conficere: Si est aliquid in rerum natura, quod hominis mens, quod ratio, quod vis, quod potestas humana efficere non possit, est certe, quod illud efficit, homine melius. Atqui res caelestes, omnesque ea, quarum est ordo sempiternus, ab homine confici non possunt. Est igitur id, quo illa conficiuntur, homine melius. Id autem quod potius dixeris, quam Deum. Etenim, si Dii non sunt, quid esse potest in rerum natura homine melius? in eo enim solo ratio est, qua nihil potest esse praestantius. Esse autem hominem, qui nihil in omni mundo melius esse, quam se, putet, despicientis arrogantia est. Ergo est aliquid melius. Est igitur profecto Deus (a).

I V.

7. Humani quoque corporis structura mirabilis adeo, tamque stupenda est, ut supremi Opificis existentia plane ad evidentiam per eam, si considerata diligenter fuerit, optimeque perspecta, contra atheum evincatur (b). Age fili, inquit Mercurius Trismegistus, Tatum alloquens, circumspice humani corporis opificium, cujus admonitione perdisce, quis tam pulchra imaginis conditor, quis oculorum pictor, quis nares, auresque tornavit, quis labia distendit oris, quis nervos tetendit, atque ligavit, quis irrigavit venas, quis ossa congestit solida, quis carnem pellicula tenui circumtexit, quis digitos, articulosque discrevit, quis fundamenta pedum extendit, quis perforavit poros, atque meatus aperuit, quis splenem coegit atque compressit, quis pyramidis impressit cordi figuram, quis jecoris porro textit fibras, quis pulmonum sculpsit fistulas, quis alvo capacem amplitudinem tradidit, quis honoranda corporis membra in propatulo figuravit, quis obscena in obscuro prorsus abdidit, eaque aspectu cernentium voluit secreta jacere. Vide, quot divina artis opera in una materia demonstrantur, singulaque pulchra, recteque dimensa, nec non propriis invicem officiis differentia. Quisnam singula finxit? Qualis mater? Qualis pater? Nonne hac solus ipse invisibilis Deus cuncta, propria voluntate, molitus est? Et cum statuum, & imaginem absque fabro, & pictore feri, nullus asserere audeat, miram mundi hujus constitutionem sine Conditore constituisse putabimus (c)? Ipsa demum humana mens, ejusque vires, atque operationes nonne ostendunt, & quidem prorsus ad

(a) Apud Tullium lib. II. de natura Deorum cap. 6.

(b) Facilius intelligitur, a Diis immortalibus hominibus esse provisum, si erit tota hominis fabricatio perspecta, omnique ha-

manæ naturæ figura, atque perfectio. Tullius ibidem cap. 53.

(c) In Pimandro cap. 5. Vide Tullium lib. II. de natura Deorum cap. 54. & seq.



ad evidentiam, supremum extare Numen, a quo condita tam sublimis substantia fuerit, in corpore posita, eique ineffabiliter copulata? Sed putemus, inquit Lactantius, *artus, & ossa, & nervos, & sanguinem de atomis posse concreescere; quid sensus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt* (a). Non est autem, cur longo sermone id persequar. Satis namque superiori loco hac de re actum est. Hoc unum addo cum Tullio, *animum mentemque hominis, rationem, consilium, prudentiam, qui non divinam cura perfecta esse perspicit, his ipsis rebus mihi videri prorsus carere* (b).

V.

8. Ajunt *atheis*, evidentem in eo non esse repugnantiam, quod Mundus, quæque in illo sunt corpora, ex fortuita atomorum concursione concreverint; & si id non repugnat, nullam esse rationem, cur non hoc potius, quam alio modo, facta re ipsa fuisse dicantur. Sed, ut loquar cum Lactantio, *quanto melius fuerat tacere; quam in usus tam miserabiles, tam inanes habere linguam! & quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui hac putet refellenda. Respondeamus tamen velut aliquid dicenti* (c). In primis ergo, illud ab *atheis* quæro cum Tullio, cur, si volunt, naturalia quæque composita, ipsumque Mundum ornatissimum atque pulcherrimum ex temere concursantibus atomis non tantum fieri potuisse, sed factum esse re ipsa, cur, inquam, ipsi quoque non dicant, *si innumerabiles unius, & viginti formæ literarum vel aureæ, vel quales libet, aliquo conjiciantur posse ex his in terram excussis annales Ennii ut deinceps legi possint, effici* (d). Id certe, minus quam unum vile animalculum, ne dicam, quam tota ipsa Mundi machina, operosum est. Si autem velint, annales Ennii hoc modo ex illis formis posse fieri (ego tamen nescio cum eodem Tullio, *an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna*), scire optarem ab *atheis*, cur non Ennii annales, sed unus Virgilii versus nunquam hac ratione effectus, sit, quamvis fortuita typographicarum formarum concursio infinities plane hæctenus contingerit. Secundo, ut egregie argumentatur ille idem Vir summus, *si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest? quæ sunt minus operosa, & multo quidem faciliora. Certe ita temere de mundo effutiunt, ut mihi quidem nunquam hunc admirabilem cæli ornatum,*

(a) Lib. de ira Dei cap. 10.

(c) Lib. de ira Dei cap. 10.

(b) Lib. II. de natura Deorum c. 59.

(d) Lib. II. de natura Deorum cap. 47.

rum, qui locus est proximus, suspexisse videantur (a). Adde cum Lactantio, si fortuitis atomorum concursibus nascuntur omnia, cur nunquam fortuito accidit, sic coire illa principia ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret, odoraret oculis, auribus cerne-
ret? Si enim primordia nullum genus positionis inexpertum relin-
quunt, oportuit, ejusmodi quotidie monstra generari, in quibus membro-
rum ordo preposterus, & usus longe diversus existeret (b). Tertio: licet
detur athæis, corpora sensibilia, si divisim spectentur, ex atomorum
concursione fortuita coalescere potuisse, nemo tamen erit, ut arbi-
tror, qui ex animo concedere eisdem queat, potuisse fortuito fieri,
ut tot non dissimilia solum, verum etiam plane contraria corpora
conspirarent in unum, unitatemque servarent perpetuo, ac tueren-
tur. Constans enim effectus constantem habeat causam necesse est,
& eo quidem maxime, cum de contrariorum concordia agitur. Con-
traria quippe, cum natura sua pugnent inter se, sibi que invicem con-
tinuo adversentur, tantum abest profecto, ut in unum conspirare
fortuito possint, atque pro viribus tendere, quin potius eo niti de-
bere videantur, ut compagem, quamprimum habetur, dissolvant
penitus, & plane perimant. Non ergo casu facta tanta partium
mundi concordia est, sed ipsam ex uno supremo Moderatore deri-
vent & ipsi athæi, velint nolint, oportet. Egregie propterea ita olim
scripsit Boetius: *Mundus hic ex tam diversis contrariisque partibus
in unam formam minime convenisset, nisi unus esset qui tam diversa
conjungeret; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors,
dissociaret atque divelleret, nisi unus esset, qui, quod nexuit, contineret.
Non tam vero certus natura ordo procederet, nec tam dispositos motus,
locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitibus explicaret, nisi unus
esset, qui has mutationum varietates manens ipse disponderet* (c). Cer-
rum postremo est, primigenia illa corpuscula, ex quibus ajunt athæi,
affectum esse cælum atque terram, nulla cogente natura, sed concursu
quodam fortuito (d), infinitis plane modis, si eorum spectetur natu-
ra, combinari posse inter se, adeo nempe ut ad nullam certam com-
binationem per suam naturam sint determinata. Igitur componi ne-
queunt uno potius, quam alio modo ex innumeris, qui pro eodem
instanti sunt ex æquo possibiles, quin detur ratio, cur hoc potius
modo, quam alio, uniantur simul, & in unum concrecant; ac pro-
pterea quin existat externa quædam causa, intelligens ac summe po-
tens,

Phil. Ment. T. II.

C c

(a) Lib. II. de natura Deorum cap. 37.

(b) Lib. de opificio Dei cap. 6.

(c) Lib. III. de consolatione prosa 11.

(d) Tullius lib. I. de natura Deorum
cap. 24.

tens, quæ ad hanc, quam modo habent, potius quam ad aliam æque possibilem, combinationem atque texturam corpuscula ipsa determinaverit. Neque valet, quod ajunt, primigenia scilicet illa corpuscula fortuito fuisse ad unam combinationem determinata. Non valet, inquam; quia id docere, ac pugnancia simul tradere, perinde est. Quid enim est aliud, illa corpuscula ad unam certam texturam determinari fortuito, nisi passivam subjecti indifferentiam tolli sine determinante, determinatumque haberi effectum, quin detur causa; a qua producat? Ceterum ea ipsa, quam usurpant, ratione jugulantur athæi. Dicunt, non repugnare, ut mundus factus fuerit ex atomorum concursione fortuita; & si non repugnat, nullam esse rationis, cur hoc modo reipsa factus non fuerit. At contra ipsos ita hoc idem urgetur argumentum: non repugnat, ut existat causa plena rationis, quæ ad eam combinationem, quæ nunc habetur, primigenias atomos determinaverit: ergo causa istiusmodi reipsa existit. Nulla enim est ratio, cur, si talis causa non repugnat, illa reapse non habeatur; quemadmodum non aliam ob causam, atheorum stulto iudicio, mundus fortuito factus est, nisi quia non repugnat, ut hoc modo prodierit, nec ulla ratio est, cur, stante hac non repugnancia, non ita factus fuisse dicatur. Vides ergo, in quæ deliramenta inciderint (atheï), dum nolunt, effectiorem curamque rerum Deo dare (a). Nemo certe illa, præter unum Leucippum, somniavit, a quo Democritus eruditus, hereditatem stultitiæ reliquit Epicuro (b).

V I.

9. Ipsa postremo rerum contingentia invictissimum, omnium iudicio, argumentum est, Deum existere. Hinc etenim fit, ut admittere vel inviti cogamur *ens* aliquod a se, & necessario existens, a quo res, quæ existunt contingenter, suum deinde esse receperint. Certum est itaque, repugnare ad evidentiam, ut omne *ens* sit ab alio. Cum enim extra collectionem omnium *entium* nullum habeatur *ens*, collectio omnium *entium* esset a nihilo, tamquam ab efficiente causa, si omne *ens* haberet ab alio, ut existeret. Igitur aliquod datur *ens* non ab alio. Quod autem est non ab alio, & est, a se ipso est, ut patet. Ergo aliquod necessario datur *ens*, quod a se existit.

Similiter repugnat, ut tota collectio *entium* sit contingens. Si enim

tota

(a) Lactantius lib. de ira Dei cap. 10.

(b) Idem lib. III. Divin. Instit. cap. 17.

rota est contingens, tota ita existit, ut non esse ex æquo potuerit; & si ex æquo potuit non esse, nulla est ratio, cur ad existendum potius, quam ad non existendum fuerit determinata; nisi forte placeat dicere, illam collectionem determinasse seipsam ad existendum, antequam existeret: quo certe nihil magis absurdum est, nihilque risu magis dignum. Datur ergo *ens* necessarium, & quidem tale, ut in eo contineatur ratio, cur contingenter *entia* existant.

Dicunt, omne *ens* esse *ab alio*, & contingenter existere, non quidem si *collective*, sed tantum si *distributive* sumatur: videlicet nullum *ens* in tota *entium* collectione designari posse, quod contingens non sit, & *ab alio* non habeat, ut existat.

Sed contra: enimvero, cum *abaleitas*, & *contingentia* in existendo sint attributa, quæ rei conveniunt intrinsecus, non secus ac rationalitas competit homini, nequeunt singula *entia*, *distributive* sumta, esse *ab alio*, & contingenter existere, nisi verum quoque sit, nullum penitus esse *ens*, quod non sit *ab alio*, & contingenter non existat; quemadmodum ex eo, quod quilibet homo, sumtus *distributive*, sit animal rationale, optime sequitur, nullum esse hominem, qui *animalitate*, & *rationalitate* non polleat. Ergo, si verum est *distributive*, *collective* quoque verum erit, omne *ens* esse *ab alio*, & contingenter existere, si nullum plane sit, quod *a se*, & *necessario* existat. Esse itaque Deum, indubium est. Si enim ratio *mecum* facit, si *eventa*, si *populi*, si *nationes*, si *Græci*, si *Barbari*, si *maiores etiam nostri*, si *denique hoc semper ita putatum est*, si *summi Philosophi*, si *Poetae*, si *sapientissimi Viri*, qui *respublicas constituerunt*, qui *urbes condiderunt*: an dum *bestia loquuntur*, expectamus, *hominum consentiente auctoritate contenti non sumus* (a)?

S C H O L I O N.

10. Materiam primam non esse *ens a se*, & *necessario* existens, infra opportunius contra *Spinosam*, aliosque ostendemus.

C O R O L L A R I U M.

11. Errant ergo *Socinus* (b), *Ostorodus* (c), aliique ejusdem *furfaris*, cum ajunt, *Dei existentiam neutiquam posse ex creaturis demonstrari*.

C c 2

(a) *Tullius* lib. I. de *Divinatione* cap. 39.

(b) *Præf. B.* cap. 2.

(c) *Iosif. cap. 1.*

stravi. Id enim tum rationi, ut patet ex hactenus traditis, tum Divinae Scripturae aperte contrarium est (*).

Objecta diluuntur.

Opponitur 1. Existentia Dei est articulus fidei; ut enim habet Apostolus, *accedentem ad Deum oportet credere, quia est (a)*. Ergo nequit ratione naturali demonstrari.

R. disting. añs: existentia Dei est articulus fidei, adeo nempe ut non nisi per revelationem cognosci possit, *nego añs;* est articulus fidei, hoc est, admitti debet per fidem, si per rationem non innotescat, *concedo añs,* & *neg. conseq.* Itaque accedenti ad Deum necesse in primis est, ut illius existentiam teneat fide, si per rationem sibi satis perspecta non fuerit. Tunc enim sufficit: ut habeat pium credendi affectum. Porro nullam in eo esse repugnantiam, ut existentia Dei per media tum naturalia, tum supernaturalia innotescere nobis possit; manifestum adeo est, ut demonstratione non indigeat.

Opponitur 2. Non est certum, adspectabilem mundum existere. Ergo Dei quoque existentia incerta est. Hæc enim, ut patet, ex mundi existentia potissimum colligitur.

R. 1. neg. añs, si de physica certitudine id intelligatur. Non unum est enim argumentum, quo corporum existentia contra *idealistas* evincitur.

R. 2. neg. conseq. Demonstratur enim existentia supremi Numinis ex eo etiam, quod existat *ens contingens*, ipsa nimirum humana mens, cujus existentiam inficiari nequit *idealista*, quin velit, neminem ne quidem de propria existentia habere certitudinem posse: quod quam falsum sit, ne dicam amplius, non est, cur longo sermone ostendam.

Opponitur 3. Ex eo, quod existat *ens contingens*, colligi certo nequit, extare *ens necessarium*. Ergo &c. *Prob. añs:* potest existere *ens necessarium*, quin existat *ens contingens*. Ergo vicissim potest existere *ens contingens*, quin existat *ens necessarium*; adeoque &c.

R. neg. añs, ad cujus probationem *permitto añs,* & *nego conseq.* Ratio discriminis est evidens. Cum enim in *ente contingente* non detur ratio sufficiens, cur ipsum existat potius, quam non existat, nequit existere *ens contingens*, quin detur *ens necessarium*, in quo sufficiens illius

(a) Ad Hebræos cap. XI. v. 6.

(*) A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator ho-

rum videri. Sap. cap. XIII. v. 5.

Vide *Epist. ad Romanos* cap. I. v. 20.

illius ratio contineatur. Contra vero res se habet, loquendo de ente necessario. Hoc enim tale est, ut rationem suæ existentiae comprehendat.

Dices: *existentia entis contingentis non est necessario connexa cum ente necessario, alioquin ens contingens necessario existeret. Ergo potest existere ens contingens, quin existat ens necessarium.*

R. *disting. añs: existentia entis contingentis non est necessario connexa cum ente necessario, sive non est huiusmodi, ut haberi nequeat ens necessarium, quin habeatur contingens, concedo añs; non est necessario connexa cum ente necessario, hoc est, potest extare ens contingens, quin existat necessarium, nego añs, & conseq. Verum est, existentiam entis contingentis non adeo esse connexam cum ente necessario, ut extare nequeat ens necessarium, quin existat ens contingens. Non enim ens contingens necessario produci- tur. At est fallum, existentiam entis contingentis non ita connexam esse cum ente necessario, ut prorsus repugnet, haberi ens contin- gens, quin necessarium habeatur. Cum enim ens necessarium ratio- nem contineat, cur existat contingens, contradictio est, ut exi- stat, ens contingens, quin existat necessarium, quemadmodum evi- dens in eo est pugna, ut sit effectus, quin causa existat.*

Opponitur 4. Evidenter non repugnat processus in infinitum in causis efficientibus. Ergo evidenter non constat, admittendam esse causam, quæ sit omnium prima.

R. *omisso añte, neg. conseq.* Existencia liquidem Dei demonstra- ta a nobis ex eo non est, quod infinita causarum series repu- gnet. Sive enim repugnet, sive non repugnet processus in infinitum in causis, semper stat, causam a se existentem admitti oportere; cum fieri nequeat, ut tota entium collectio ea ratione sit, ut non esse ex æquo potuerit.

SECTIONE SECUNDA.

Precipua Dei attributa expenduntur.

12. **N**emo ex me querat, ut demonstrata *existentia supremi* Numinis, illius *essentia* explicetur. Quo facilius enim, quod sit, eo difficilius, quid sit DEUS, ostenditur. *Roges me, inquit Cicero, quid, aut quale sit Deus? auctore utar Simonide, de quo cum quævisset hoc idem tyrannus Hiero, deliberandi causa sibi unum diem postulavit. Cum idem ex eo postredie quæret, biduum petivit. Cum*
Phil. Ment. T. II.

sapius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero requireret, cur id faceret: QUIA QUANTO, inquit, DIUTIUS CONSIDERO, TANTO MIHI RES VIDETUR OBSCURIOR (a). Theologis ergo accuratiore hujusce rei relicta indagine, præcipua tantum, & quidem quoad licet Philosopho Dei attributa inquiremus in præsens, & paucis explicabimus.

DEFINITIO I.

13. *Ens infinitum in omni genere perfectionis dicitur illud, quod natura sua adeo perfectum est, ut nullum plane sit perfectionis genus, quod sine limite non comprehendat. Ut enim infinitum est in aliquo genere, quod omni prorsus in illo caret termino, ita in omni genere id est infinitum, quod in nullo genere perfectionis ad certum gradum limitatur.*

PROPOSITIO I.

Deus est ens in omni genere infinite perfectum.

14. *Probatur. Deus neque a se, neque ab alio potest in aliquo perfectionis genere ad certum gradum limitari. Non ab alio, cum nullum sit ens, cui Deus subjiciatur. Non a se, cum fieri nequeat, ut quod sibi sufficiens ratio existendi est, sibi quoque sufficiens non sit ratio continendi in quovis genere perfectionis omnem illius gradum possibilem. Infinite autem perfectum in omni genere est ens, quod in nullo perfectionis genere ad certum gradum limitatur (§. 13.). Ergo &c.*

COROLLARIUM I.

15. *Deus est ens, quo majus, sive perfectius, nec esse, nec fingi potest. Non enim Deus esset ens infinite perfectum in omni linea, si aliquod esset ens, quod Deum perfectione superaret.*

SCHOLIUM I.

16. *Deum esse ens omnium perfectissimum, ex communi etiam tam doctorum, quam indoctorum sensu manifestum est. Omnes certatim pro excellentia Dei dimicant, inquit S. Augustinus, nec quisquam inveniri potest, qui hoc Deum credat esse, quo melius aliquid est. Ita-*

(a) Lib. I. de natura Deorum cap. 22.

que

que hoc omnes Deum consentiunt esse, quod ceteris rebus omnibus anteponunt (a).

S C H O L I O N II.

17. Contendit Cartesius, ex notione *entis perfectissimi*, quam esse ait in unoquoque nostrum, Dei existentiam evidenter demonstrari. Non enim fieri posse putat, ut *entis perfectissimi* notionem habeamus, quin ejusdem *existentia* in illa reluceat. At non omnibus hæc illatio videtur legitima, & quidem, quantum mea etiam fert opinio, non plane immerito. Ut enim recte concludat argumentum, demonstrandum est, in notione *entis perfectissimi*, quam ipsi nobis fingimus, nullam omnino contradictionem involvi. Fortasse namque erit, qui dicat, minime constare ad evidentiam, non repugnare *ens*, in quo nulla prorsus, ne quidem levissima, imperfectio habeatur. Neque juvat reponere, *ens* istiusmodi a nobis concipi; quandoquidem *celerrimum* quoque motum ipsi concipere arbitramur; & tamen indubia res est, istiusmodi motum penitus repugnare.

C O R O L L A R I U M II.

18. *Materia prima nequit esse ens a se.* Cum enim ostensum fuerit, Deum esse *ens perfectissimum* in omni linea, quia *a se* existit, nequit materia prima esse *ens a se*, nisi perfectiones omnes sine ulla prorsus limitatione contineat: quod quam longe sit a veritate, nemo, ut arbitror, Philosophorum est, quam lateat. Hinc

C O R O L L A R I U M III.

19. Turpiter erravit David de Dinando, cum dixit, *Deum inter atque materiam primam nullum penitus esse discrimen.* Patet quoque

C O R O L L A R I U M IV.

20. *Dei existentiam optime ex eo ostendi, quod extare ens aliquod a se demonstratur.* Stat enim hoc ipso, existere *ens perfectissimum* (§. 14.).

C O R O L L A R I U M V.

21. *Maxima quoque insania est, velle cum Spinoza, eandem prorsus,*
C c 4. *quæ*

(a) Lib. I. de Doctrina Christiana n. 7. alias cap. 7.

que Mundi, Dei esse substantiam. Dare quippe tunc cogimur, aut Deum non esse ens perfectissimum, secus ac superiori loco demonstratum est; aut Mundi substantiam nulli imperfectioni, contra atque ipsa ostendit experientia, & ratio suadet, esse obnoxiam. Nec enim eadem esse potest Dei, Mundique substantia, nisi par itidem sit, ut patet, utriusque conditio.

De unitate Dei.

22. Quemadmodum athei nullum Deum admittunt, ita polythei ex adverso, plures extare Deos, turpiter arbitrantur. Unitatem Dei inficiati primo sunt Gentiles. Tot siquidem Deos hi venerati sunt, ut Hesiodus, Eusebio teste (a), *triginta Deorum millia* esse in terra censuerit. Certe liberum adeo erat cuique, sibi Deum fingere, ut, quemadmodum refert Cœlius Rhodiginus, *non provinciis modo, sed & suis esset cuique civitati Deus* (b). Hostes quoque divinæ unitatis fuere Gnostici, Appellitæ, Marcionitæ, Valentiniani, & Manichæi. Non enim unum, sed plura, ut auctor est S. Augustinus (c), dicebant esse rerum principia, *bonum scilicet unum, malum alterum, visibile unum, alterum invisibile*. Porro licet omnes idololatræ sint polythei, non omnes tamen polythei pro idololatræ habendi sunt. Polytheus est, qui plura sibi fingit entia, ex æquo prima, increata, æterna omnia, ac penitus independentia. Est vero idololatra, qui creatis rebus divinitatem tribuit, easque, Numinum instar, veneratur atque adorat. Prætermittendum non est autem, idolum, sive simulacrum, seu imaginem ad idololatriam nequaquam requiri. Coli creatura potest, imo & colebatur olim, tamquam Numen, etsi nulla imago, nullumque idolum tunc haberetur. *Idolum*, inquit Tertullianus, *retro non erat priusquam hujus monstri artifices ebullissent. Sola templa, & vanæ ades erant; tamen idololatria agebatur, non in isto nomine, sed in isto opere* (d); sique Plutarcho (e) danda est fides, CLXX. annis ab Urbe condita, nulla imago neque picta, neque ficta adorabatur Romæ, & tamen erant templa, in quibus idololatria exercebatur. Quo autem tempore cœperit idololatria, & quis fuerit primus, qui idola invenerit atque coluerit, non plane certum est. Sunt, qui putant cum Torniello, idololatriam natam simul fuisse cum Mundo, argumento inde sumpto, quod Enos primus nomen Do-

(a) Lib. V. de præp. Evangel. c. 15.

(b) Lib. XXI. Lect. antiq. cap. 3.

(c) Lib. de hæresibus.

(d) Lib. de idol. cap. 3.

(e) In vita Numæ.

Domini invocasse dicatur. Sunt ex adverso, qui nonnisi post dilu-
vium exortam idololatriam ponunt, contenduntque, Cham, unum
ex Noe liberis, tam grande crimen in Mundum invexisse. Huic enim,
cum *ob impietatem*, inquit Cœlius Rhodiginus, *diras extulisset pater*
imprecationes, nullis etiam numinis imbutus divini cultus rationibus,
raptim a parente revulsus, in Arabas secessit; unde mox divinitatis in-
scitia inibi irroborata primum, in plures data est (a). Primus porro ido-
li sive auctor, sive cultor videtur fuisse Belus. Ille quippe is creditur
non immerito, qui, ut ait Scriptura, *acerbo luctu dolens pater, cito sibi*
rapti filii fecit imaginem; & illum, qui tunc quasi homo mortuus fuerat,
nunc tamquam Deum colere cepit, & constituit inter servos suos sacra &
sacrificia (b). Ceterum, ut de primo idoli inventores res sit, vide-
tur citra dubium, tanti criminis causam non solam fuisse humani
generis perversitatem, morumque corruptionem, sed infirmitatem
quoque & indigentiam. *Utilitatum magnitudine, inquit Tullius, consti-*
tuti sunt ii Dii, qui utilitates quasque gignebant. Suscepit vita ho-
minum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum
fama ac voluntate tollerent (c) sicutque habet Plinius, *fragilis, & la-*
boriosa mortalitas in partes ista digessit infirmitatis sue memor, ut por-
tionibus quisque coleret, quo maxime indigeret (d).

P R O P O S I T I O II.

Unus tantum est Deus.

23. Dei unitas iisdem ferme momentis ostenditur, quibus illius
existentia demonstratur. *Deos siquidem esse multos, perinde est, ac*
nullos dicere (e).

I.

24. Prima itaque ratio ex interiori naturæ impulsu desumitur. Om-
nes, ne iis quidem exceptis, qui plures esse Deos putant, eo, ipsa ut
ita dicam impellente natura, feruntur, ut unum, veluti parentem
optimum, summumque moderatorem, in periculis invocent, illius
implorent auxilium, eique uni, cum res illis succedit ex voto, gra-
tias referant. *Audio vulgus, inquit Minucius Felix, cum ad cælum*
manum tendunt, nihil aliud, quam Deum dicunt; & Deus magnus est,
& Deus verus est, & si Deus dederit (f); atque, teste Lactantio, cum

(a) Lib. XXII. *Leç. antiq.* cap. 3.(b) *Sapientie* c. XIV. v. 15. Vide Cor-
nelium a Lapide ad hunc locum.(c) Lib. II. *de natura Deorum* c. 23. & 24.(d) Lib. II. *Hist. naturalis* cap. 7.(e) S. Athanasius lib. *contra Gentiles*.(f) In *Octavio*.

jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Jovem, aut Deos multos, sed Deum nominant. Adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit (a). Præclarum hoc animæ naturaliter christiana (b) de unitate supremi Numinis testimonium agnovit etiam Plotinus. Ita namque, & ille scripserat: Unum quiddam, idemque numero, esse simul ubique totum, communis judicat mentis humana notio, quando omnes, naturali quodam instinctu, clamant, in unoquoque nostrum esse Deum, adeo ut unus in omnibus idemque sit Deus (c).

I I.

25. Sed veniamus ad auctores, & eos ipsos ad veri probationem testes citemus, quibus contra nos uti solent: Poetas dico, ac Philosophos. Ex his unum Deum probemus, necesse est, non quod illi habuerint cognitam veritatem, sed quod veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem sese oculis divinam claritatem. Poeta igitur, quamvis Deos carminibus ornaverint, & eorum res gestas amplificaverint summis laudibus, sapissime tamen confitentur, spiritu, vel mente una contineri regique omnia (d). Itaque, ut ab eo exordiar, ab Orpheo scilicet, qui & vetustissimus Poetarum est, & equalis ipsorum Deorum dicitur (e), ita is cecinit, ut verit Cl. Petavius (f):

Unicus est per se existens, qui cuncta creavit,
Inque his ipse extat; nulli e mortalibus unquam
Lumine conspectus, mortales conspicit omnes.

Tum:

Magnum adeo præter regem non alter habetur.

Deinde:

In cunctis Deus unus.

Natura igitur, ratione ducente, ut præclare observat Lactantius, intellexit (Orpheus), esse præstantissimam potentiam cæli ac terre conditricem. Non poterat enim dicere, Jovem esse principem rerum, qui erat Saturno genitus; neque Saturnum ipsum, qui cælo natus ferebatur. Cælum autem, tamquam Deum primum, constituere non audebat, quod videbat esse elementum mundi, quod ipsum egerit auctore. Hac cum ratio perduxit ad illum Deum primogenitum, cui assignat & tribuit principatum (g). Dignum autem consideratione apprimè est,

(a) Lib. II. *Divin. Instit.* cap. 1.

(b) Tertullianus in *Apologet.* cap. 17.

(c) *Ænead.* VI. lib. V. cap. 1.

(d) Lactantius lib. I. *Divin. Instit.* c. 5.

(e) Idem *ibidem.*

(f) Tom. I. *Theol. Dog.* lib. I. cap. 3.

(g) Lib. I. *Divin. Instit.* cap. 5.

est, quod refert Théophilus Patriarcha Antiochenus (a), Orpheum scilicet *testamento suo, cum obiret mortem*, unum aperte fassum fuisse Deum, licet CCCLX. antea memoraverit. Orpheo consensit Sophocles. Cecinit enim ex versione ejusdem Petavii:

*Unus profecto est: unus est tantum Deus,
Qui cælum, & amplum condidit terra globum,
Marisque fluctus, vimque ventorum gravem.*

Hesiodus quoque, licet auctore Lactantio (b), nihil dederit hac super re, *non a Deo conditore sumens exordium, sed a chao, quod est rudis inordinataque materia confusa congeries*, attamen, si Clementi Alexandrino (c) fidem dare non dubitamus, unum Deum tacite significavit, cum cecinit:

*Ipse suo regno ditioneque continet omnes,
Nec tenet imperium hoc ex immortalibus ullus.*

Ita demum Virgilius:

*Principio cælum, ac terras, camposque liquenter,
Lucentemque globum lunæ, titaniaque astra,
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus,
Mens agitat molem (d).*

Deum autem intelligi a Virgilio, nomine *spiritus*, atque *mentis*, ex eo satis aperte colligitur, ut observat Lactantius (e), quod ille idem dixerat, Deum scilicet

ire per omnes

Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum (f).

Enimvero quid aliud & a nobis Deus, inquit Minucius Felix, *quam menti & ratio predicatur (g)?* Sed de Poetis fortasse plusquam satis.

I I I.

26. Ad Philosophos veniamus, quorum auctoritas gravior est, certiusque *judicium? quia non rebus commentitiis, sed investiganda veritati studuisse creduntur (h)*. Ita igitur de hisce scribit Minucius Felix. *Recenseamus, inquit, si placet, disciplinam Philosophorum. Deprehendes, eos, etsi sermonibus variis, ipsis tamen rebus in hanc unam coire & conspirare sententiam. Omitto illos rudes, & veteres, qui de suis dictis sapientes esse meruerunt. Sit Thales Milesius omnium primus, qui primus omnium de cælestibus disputavit. Idem Milesius Thales rerum*

ini-

(a) Lib. III. ad Autolicum. Tom. II. Bibl. PP.

(b) Lib. I. Divin. Instit. cap. 5.

(c) Admon. ad Gen. Tom. III. Bibl. PP.

(d) Ænead. VI. v. 724.

(e) Lib. I. Divin. Instit. cap. 5.

(f) Georgic. IV. v. 219.

(g) In Octavio.

(h) Lactantius lib. I. Divin. Instit. cap. 5.

initium aquam dixit; Deum autem eam mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit. En altior, & sumblimior aqua, & spiritus ratio, quam ut ab homine potuerit inveniri, ab eo tradita. Vides Philosophi principalis nobiscum penitus opinionem consonare Anaximenes deinceps, & post, Apolloniatæ Diogenes æra Deum statuunt infinitum & immensum. Horum quoque similis de divinitate consensus est. Anaxagora vero descriptio & modus infinitæ mentis Deus dicitur; & Pythagora Deus est animus per universam rerum naturam commensans & intentus, ex quo etiam animalium omnium vita capiatur. Xenophanem, notum est, omne infinitum cum mente Deum tradere, & Anthistenem populares Deo multos, sed naturalem unum præcipuum. Speusippum vim naturalem, animale, qua omnia regantur, Deum nosse. Quid Democritus, quamvis atomorum primus inventor, nonne plerumque naturam, qua imagines fundat & intelligentiam, Deum loquitur? Straton quoque & ipse naturam. Etiam Epicurus ille, qui Deos aut otiosos fingit, aut nullos, naturam tamen superponit. Aristoteles variat; assignat tamen unam potestatem; nam interim mentem, mundum interim Deum dicit, interim mundo Deum præficit. Heraclides Ponticus quoque Deo divinam mentem, quamvis varie, adscribit, alias mundo, alias menti divina tribuens principatum. Theophrastus, & Zenon, & Chrysippus, & Cleantes sunt & ipsi multiformes, sed ad unitatem Dei omnes revolvuntur. Cleantes enim mentem, modo animum, modo æthera, plerumque rationem Deum dissevit. Zenon ejusdem magister naturalem legem atque divinam, & æthera interim, interdumque rationem vult omnium esse principium. Idem interpretando Junonem æra, Jovem cælum, Neptunum mare, ignem esse Vulcanum, & ceteros similiter vulgi Deos elementa esse monstrando, publicum arguit graviter, & revincit errorem. Eadem fere Chrysippus, vim divinam, rationem, naturam, & mundum interim, & fatalem necessitatem Deum credit, Zenonemque interpretatione Physiologia in Hesiodi, Homeri, Orpheique carminibus imitatur. Babylonio etiam Diogeni disciplina est exponendi, & differendi; Jovis patrem, & ortum Minervæ, & hoc genus ceterarum rerum vocabula esse, non Deorum. Nam Socraticus Xenophon formam Dei veri negat videri posse, & ideo quæri non oportere. Aristoteles Chius comprehendere omnino non posse. Uterque majestatem Dei intelligendi desperatione senserunt. Platoni apertior de Deo, & rebus ipsis, & nominibus oratio est, qua tota esset cælestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Platoni itaque in Timæo est ipso suo nomine, mundi parens, artifex anima, cælestium terrenorumque fabricator: quem & invenire difficile præ nimia & incredibili potestate; & cum inveneris, in publicum dicere, impossibile præ-

præ-

prafatur. Eadem fere & ifta, qua noftra, funt; nam & Deum novimus & parentem omnium dicimus, & nunquam publice, nifi interrogati, predicamus (a). Nemini porro aliquid vel minimum faceffere debet negotii, quod Plato non uno in loco plures Deos nominaverit. Ut enim obfervat Doctiffimus Finicus, unicum perfeipfum in Parmenide atque Timao probat effe Deum; ceteros vero angelicos, cateffesque Dei ministros, cum Deos nominat, non tam Deos, quam divinos appellat (b). Adde ex Cœlio Rhodigino, præfto effe, qui nomina quidem (Deorum) effe fateantur plura, Deum tamen unum (c). Certe, cum argumentis urgerentur populi, quod plures Deos admitterent, hæc una, teffe Orofio, eorum erat vox, non fe plures Deos fequi, fed fub uno Deo magno plures ministros venerari (d). Unde auctor libri de mundo, qui Ariftoteli vulgo infcribitur, unus, inquit, Deus cum fit, pluribus nominibus appellatus effe, ab iis utique fuis omnibus effectibus denominatus, quorum fpecimen edere ipfe folet (e): quod etiam aperte docuit Jamblicus, Ægyptiorum de Deo, atque diis referens opinionem (f).

I V.

27. Expoſui opiniones omnium fere Philoſophorum, quibus illuſtris gloria eſt, Deum unum multis licet designaſſe nominibus, ut quiſvis arbitretur, aut nunc Chriſtianos philoſophos eſſe, aut Philoſophos fuiſſe jam tunc chriſtianos (g). Reſtat modo, ut palam fiat, naturalem ipſam rationem auctoritati ſummorum Virorum mirifice conſentire. Divina ergo unitas ex mundi gubernatione primo deſumitur. Ea porro mundam concordia regi, eaque conſtantia gubernari, qua nec major aliqua eſſe poſſit, neque a nobis fingi, nemo certe, qui mundum ipſum vel leviffime perſpexerit, ibit inficias. Res autem ſecus proculdubio contingeret, ſi non unus, ſed plures eſſent mundi rectores. Unuſquiſque enim omnia ad ſuum arbitrium traheret, & cum altero depugnaret (h). Maxima ergo in regendo ut ſit concordia, ſumma in rectore habeatur unitas neceſſe eſt. Nil autem, quemadmodum optime obſervat Abaelardus, cum aliquo ita, ut ſecum, idem vel unum eſſe poteſt, nec aliis ita concordare, ut ſibiſ cum a ſeipſo nihil diſſimile ſit (i). Ergo unus eſt Deus, qui ſolus univerſa, quæcunque ſunt, verbo jubet, ratione diſpenſat, virtute conſumat (k).

Præ-

(a) In Oſtavio.

(b) Præf. in Cratylum Platonis. Vide Athenagoram in Apoieq. pro Chriſtianiſ, & Eufebium lib. XI. de præp. Evangel. c. 9.

(c) Lib. XXII. Leſt. antiq. cap. 3.

(d) Lib. XI. Hiſtor. cap. 1.

(e) Cap. VII.

(f) De myſteriiſ.

(g) Minucius Felix in Oſtavio.

(h) S. Athanaſius lib. contra Gentileſ.

(i) Lib. III. Introducſ. ad Theol.

(k) Minucius Felix in Oſtavio.

V.

28. Præterea, si plures sunt Dii, vel eorum unus impediti ab altero potest, ne in mundi regimine id, quod sibi magis placet, perficiat, vel non potest. Si potest: ergo nullus illorum est Deus, utpote nullus sua in actione liber, ac plane independens. Si non potest: ergo nullus itidem est, cui Dei nomen jure conveniat. Quomodo enim censeretur Deus potest, qui non tantæ est potestatis, ut omne, quod vult, libere peragere queat? Demum vel unus sufficit Deus, ut existat mundus, quæque in illo sunt, ut ordinate regantur, vel pluribus est opus. Si unus sufficit: igitur unus tantum re ipsa est, ne aliquid frustra extare dicatur: *Superfluous enim alius vel creator esset, vel rector, si unus ad omnia æque sufficiat, ut plures (a)*. Si non satis est unus: ergo nullus eorum est Deus, utpote nullus in omni linea summe perfectus. Neque enim, teste S. Athanasio, *artificem inter homines absolutum dixeris, sed imbecillum, si non solus, sed cum multis unum opus expediat (b)*.

V I.

29. At vero Deum, ut scias, unum esse debere, quare, quid sit Deus, & non aliter invenies (c). Convenit inter omnes, & jure quidem, ut supra demonstravimus, Deum esse summum ens, omnique in genere perfectissimum. Condicio autem summe magni hæc una certe est, ut nihil illi adequetur, idest, ut non sit aliud summum magnum; quia, si fuerit, adequabitur; & si adequabitur, non erit jam summum magnum, eversa conditione, & ut ita dixerim, lege, quæ summo magno nihil sinit adequari (d). Ergo, ut Deus sit summum ens, necessario oportet, ipse sit unus. Id porro constabit apercius, si diversæ naturæ plura illa suprema entia dicantur. Stat enim hoc ipso, aliquid esse in uno, quo caret alterum, & ideo hoc alterum neutiquam posse summum nuncupari. *Quæ discrepant bona, inquit Boetius, non esse alterum, quod sit alterum, liquet. Quare neutrum poterit esse perfectum, cum alterutri alterum deest. Sed quod perfectum non sit, id summum non esse, manifestum est. Nullo modo igitur, quæ summa bona sunt, ea possunt esse diversa (e)*. Eo demum

ve-

(a) Abaelardus lib. III. *introduc.* ad
Theol.

(b) Lib. *contra Gentiles*.

(c) Tertullian. lib. I. *contra Marcionem*.

(d) Idem *ibidem*.

(e) Lib. III. *de consol.* prosa 10.

veniant *polythei* necesse est, ut admittant, quod nemo ne somniavit quidem, infinitum scilicet esse Deorum numerum. *Quaecunque ratio, ut præclare observat Tertullianus, plura summe magna non patitur admitti, eadem nec duo, ut ipsa plura post unum. Post unum enim numerus. Quæ potuit duo admittere, eadem potuit & plura post. Duo enim multitudo, unitate jam excessa* (a). Et sane, si nulla in eo repugnantia est, ut duo simul Dii existant, nihil habetur in Divina essentia, quod prohibeat, quominus uno posito, alter etiam Deus habeatur. Essentia itaque Divina, non secus atque humana, multiplicari in infinitum potest; ac proinde possibiles sunt infiniti Dii. At, si infiniti sunt possibiles, infiniti reipsa existent; cum Deus sit *ens necessarium* (§. 2.). Ergo infiniti reipsa sunt Dii, si non unus tantum existat. Nullus porro, ut patet, est Deus, si dii sint numero infiniti. Igitur vel nullus Deus est, vel is proculdubio est unus.

De simplicitate Dei.

30. Realem in Deo compositionem ii posuerunt omnes, qui Deum corporeum esse dixerunt, quique propterea *Antropomorpha* appellati sunt. Ut enim habet S. Augustinus, *vani homines nimis in hæc corporalia progressi atque lapsi, nihil aliud putant esse, quam quod istis quinque corporis nunciis sentiunt* (b). In hunc itaque errorem impegerunt ex Gentilibus rudiores, & imperiti, ex Judæis Sadducæi, ex Philosophis Stoici, & Epicuræi, ex Christianis Manichæi, & Monachi quidam Ægyptii, quorum causa non leves propterea turbæ, IV. Ecclesiæ seculo, excitatæ in Oriente fuerunt (c). Hujusce erroris accusantur etiam Melito Sardenis, Tertullianus, Audæus, sive Audius, & S. Epiphanius. Verum an recte, viderint accuratiores Theologi.

P R O P O S I T I O III.

Deus est purus spiritus, realis cujusque compositionis penitus expers.

31. *Probatum.* Mundus fieri non potuit, nisi ab *ente* summa intelligentia prædito, ut ex iis, quæ dicta superiori loco a nobis sunt, fati superque patet. Est porro Deus, a quo Mundus factus est. Er-

go

(a) Lib. I. *contra Marcionem.*

(b) Lib. *de utilitate credendi* num. 1. alias cap. 1.

(c) Vide Socratem lib. VI. cap. 7., & 10. Sozomenum lib. VIII. cap. 11. num. 14.

go Deus est *ens* rationis plenum. Spiritualis autem est illa substantia, quæ ratione prædita est (P. II. §. 54.). Ergo &c.

Divinam porro mentem nulli corpori esse copulatam, omnique prorsus reali compositione carere; hac una, eaque validissima, ratione ostenditur. Deus est *ens* in omni genere infinite perfectum (§. 14.). Ergo est etiam summe simplex. Etenim, ut egregie observat Angelicus Doctor, *in quolibet genere tanto aliquid est nobilius, quanto simplicius, sicut in genere calidi ignis, qui non habet aliquam permixtionem frigidi. Quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium, oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem, quod dicimus in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum. Nulla igitur compositio ei accidere potest* (a).

Et sane, inficiabitur nemo, omne *ens* compositum, qua compositum, posse corrumpi. *Compositio quippe pugnae initium est, pugna autem dissidii, dissidium solutionis* (b). Evidens est autem, Deum haud posse corrumpi. Non enim potest fieri, ut esse desinat, quod a se habet esse. *Non ergo aut corpus aliquod, aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid, & inferius esse credatur, sed ut sit ex omni parte monus, & ut ita dicam, totus mens, ac fons* (c).

Opponunt *Antropomorphita* plura S. Scripturæ loca, in quibus humana membra tribui Deo videntur. Ad facilis responsio est, illis omnibus scilicet locis, metaphorico, sive improprio sensu loqui Scripturam, ut humano captui sese accommodet. *Stolidi, inquit Theodoretus, non animadverterunt, Dominum Deum per homines hominibus loquentem, audientium infirmitati sermones accommodare. Et quoniam oculis nos videmus, virtutem ejus, per quam videt, Scriptura vocat oculos: & rursus audiendi facultatem vocat aures, quoniam hisce partibus audimus* (d).

Instant: Homo ad Dei imaginem & similitudinem factus est. Ergo Deus, ut homo, ex corpore & spiritu constat.

R. Hominem factum esse ad imaginem & similitudinem Dei non quoad corpus, sed quoad animam. *Invisibilis Dei imago, inquit S. Ambrosius, non in eo est, quod videtur, sed in eo utique, quod non videtur* (e).

De

(a) Lib. I. *contra Gentiles* cap. 18.

(b) S. Gregorius Nazianzen. *Orat.* 34.

(c) Origenes lib. I. *Periarcon*, sive de principii cap. 1.

(d) Quæst. 29. in *Gen.* Vide S. Augustinus *Epist.* 148., et as 111.

(e) In *Psalum* 118.

De immutabilitate Dei.

32. Deum mutationi esse obnoxium, turpiter olim arbitrabantur Stoici, si danda Origeni fides est (a). Modo autem hac super re pessime, una cum Vorstio Calvinista, sentiunt Sociniani. Ajunt enim; Deum immutabilem quidem esse quoad substantiam, at non in suis decretis.

PROPOSITIO IV.

Deus est omnino immutabilis.

33. *Probatur.* Deus est ens adeo perfectum in omni linea, ut aliud illo perfectius necesse, nec fingi possit (§. 14.). Ergo hujuscemodi ipse est, ut nulla penitus possit ratione mutari. Omne enim, quod mutatur, vel in melius, vel in deterius mutatur. Si in deterius, fit pejus. Si in melius, jam antea malum erat (b).

Arguunt in oppositum. Deus ipse testatur, se poenituisse, quod hominem fecisset (c). Maximum autem mutationis argumentum poenitentia est. Ergo &c.

R. disting. ma: poenituit Deum, improprie, metaphorice, & quoad effectum, concedo *ma.*; proprie, intrinsece, & quoad affectum, nego *ma.*; & permissa *min.*, neg. *conseq.*

Itaque poenituit Deum extrinsece, & quoad effectum, quatenus; inquit Estius, *juste irascens, & indignans peccatis hominum, decrevit, majorem partem hominum diluvio e medio tollere, quasi opus suum aversans.* Poenitere autem dicitur, ut humanæ offensæ magnitudo significaretur. Neque enim, ut egregie monet S. Ambrosius, *Deus cogitat, sicut homines, ut aliqua ei nova succedat sententia; neque irascitur, quasi mutabilis: sed ideo hæc leguntur, ut exprimat peccatorum nostrorum acerbitas, quæ divinam meruit offensam, tamquam eo usque increverit culpa, ut etiam Deus, qui naturaliter non movetur aut ira; aut odio, aut passione ulla, provocatus videatur ad iracundiam (d).*

Dices: Deus de non operante factus est operans. Mundum quippe in tempore condidit. Ergo fuit mutatus.

R. distin. añs: Deus de non operante factus est operans, extrinsece; concedo *añs*; intrinsece, nego *añs*, & *conseq.* Operari in tempore dicitur
Phil. Ment. T. II. D d tur

(a) Lib. III. contra Celsum.

(c) Geneleos cap. VI. v. 6.

(b) Sallustius Philosophus lib. de Diis,

(d) Lib. de Noe, & arca cap. IV.

& mundo.

tur Deus, quia est in tempore, quod facere ab aeterno decrevit: unde nulla intrinseca in illo contigit mutatio, licet propter extrinsecam denominationem, quæ ipsi a nobis in tempore tribuitur, mutatio in eo, cum res primo existit, contingere videatur. *Nobis fas non est credere, inquit S. Augustinus, aliter Deum affici, cum vacat, aliter, cum operatur; quia nec affici dicendus est, tamquam in ejus natura fiat aliquid, quod non ante fuerit. Patitur quippe, qui afficitur, & mutabile est omne, quod aliquid patitur. Non itaque in ejus vacatione cogitetur ignavia, desidia, inertia, sicut nec in ejus opere labor, conatus, industria. Novit quiescens agere, & agens quiescere. Potest ad opus novum, non novum, sed sempiternum adhibere consilium; nec penitendo, quia prius cessaverat, capit facere, quod non faceret. Sed & si prius cessavit, & posterius operatus est (quod nescio, quemadmodum ab homine possit intelligi) hoc proculdubio, quod dicitur, & prius, & posterius, in rebus prius non existentibus, & posterius existentibus fuit. In illo autem non alteram præcedentem altera subsequens mutavit, aut abstulit voluntatem, sed una eademque sempiterna, & immutabili voluntate res, quas condidit, & ut prius non essent, egit, quamdiu non fuerunt, & ut posterius essent, quando esse ceperunt; hinc eis, quia talia videre possunt, mirabiliter fortassis ostendens, quam non eis indiguerit; sed eas gratuita bonitate condiderit, cum sine illis ex aternitate initio carente, in non minore beatitate permansit (a). Patet ergo, post Hermogenem, quem integro libro confutavit Tertullianus, errasse Originem, dum, ut Divinam immutabilitatem, quam ex creatione Mundi in tempore facta impugnabant Gentiles, posuit (b), Mundum ab aeterno fuisse creatum. Velim porro, ut, quod de præteritis atque præsentibus dictum est, de futuris itidem intelligatur. Erit nempe, quod ex aternitate in ejus immutabili præparatam est voluntate (c),*

De immensitate Dei.

34. Deum non ubique existere, sed certo circumscriptum esse loco, præter eos, qui Deum corporeum esse dicebant, opinabantur olim rudiores Judæi, & Samaritani. Utrorumque siquidem præsumptio, teste S. Hilario, aut collis edito, aut extructa domus concavo Deum, intra quem omnia, & extra quem nihil ejus capax est, continebat (d). Hoc idem delirium fuit etiam Valentianorum, Gnosticorum, & Ma-

(a) Lib. II. de civitate Dei cap.

17.

(b) Lib. I. de principiis cap. 2.

(c) S. Augustinus lib. XXII. de civitate Dei cap. 2.

(d) Lib. II. de Trinitate.

Manichæorum. Etsi enim Deum *infinita mole diffusum* arbitrarentur Manichæi, non undique tamen, si S. Augustino credimus, *sed tribus quadris infinitum atque condensum, ex una fissum, patentem esse* finxerunt(a). Pessime demum de Divina *immensitate* nuper sentiunt Sociniani. Concedunt quippe, Deum ubique esse per *operationem*. At negant, per *substantiam*.

DEFINITIO II.

35. *Immensus* dicitur Deus, quatenus ubique est per *scientiam, potentiam, atque essentiam*. Dicitur ubique per *scientiam*, quatenus nihil esse alicubi potest, nihilque sive in mundo, sive extra mundum contingere, quod Deum lateat. Per *potentiam*, quatenus ubique potest operari. Per *essentiam*, quatenus nullus est locus, in quo ipsa Dei substantia non existat.

PROPOSITIO V.

Deus ubique est per scientiam, potentiam, & essentiam.

36. *Probatur*. Esse ubique per *scientiam, potentiam, atque essentiam* maxima perfectio est, ut cuique est evidens. Igitur convenit *enti*, quod in omni linea est infinite perfectum. Deus autem est *ens* huiuscemodi (§. 14.). Ergo Deus ubique est non per *scientiam* dumtaxat, atque *potentiam*, verum & per *essentiam*.

Confirmatur. Si enim uni tantum loco Deus esset addictus, id vel *libere* ab eo fieret, vel *necessario*. Neutro autem modo id potest contingere. Non quidem primo; quia tunc transire Deus posset ab uno in alterum locum: quod certe nequit cum ipsius Dei *immutabilitate* componi. Non secundo; cum nulla plane sit ratio, cur uni potius loco, quam alteri præfens *necessario* existat. Adde ad nullum certum locum posse *Divinam essentiam, sive scientiam, sive potentiam* necessario determinari, quin ab illo definiatur; ac proinde quin finita sit & limitata. Sic itaque est Deus per *cuncta diffusus, ut non sit qualitas Mundi, sed substantia creatrix Mundi, sine labore regens, & sine onere continens Mundum*. Non tamen per *spatia locorum, quasi mole diffusa, ita ut in dimidio Mundi corpore sit dimidius, & in alio dimidio dimidius, atque ita per totum totus, sed in solo caelo totus, & in sola terra totus, & in caelo, & in terra totus, & nullo contentus loco,*

D d 2

(a) Lib. contra epistolam Fundamenti num. 25., alias cap. 23.

loco, sed in seipso ubique totus (a). Mirandum porro est, extitisse, qui Divinæ substantiæ immensitatem inficiarentur; cum, Plotino teste, constet apud omnes homines, qui de diis aliquid cogitant, deos ubique præsentem esse (b), sive, ut dicebat Thales, diis plena esse omnia (c).

Aliquis fortasse opponet, constare ex S. Scriptura, Deum ita esse in cœlo, ut in illo, veluti in propria sede, sive loco existat. Absurdum quoque videri, Deoque prorsus indignum, ipsum ita esset in omni loco per suam substantiam, ut ne lordida quidem excludat.

Verum facilis responsio est. Deus siquidem in cœlo habere sedem dicitur, quia speciali modo, per gloriam scilicet, ibi existit. *Deus in cœlis habitare dicitur*, inquit Theodoretus, *non veluti loco circumscriptus, sed veluti letans celestibus virtutibus, quæ cœlos incolunt* (d). Est itaque Deus ubique per essentiam, præsentiam, & potentiam, sed speciali modo, nimirum per gloriam, in cœlo; per gratiam, in justis; per vindicem justitiam, in malis. Unde S. Augustinus, fatendum esse, ait, *ubique esse Deum per divinitatis præsentiam, sed non ubique per inhabitationis gratiam* (e).

Absurdum itidem non est, neque Deo indignum, ut sordidis etiam rebus intime præsens existat. Non enim Divinitas aliquam hinc labem contrahit, quemadmodum ex eo non inficitur rationalis anima, quod leproso corpori conjungatur. Hinc S. Macarius sciscitantibus, an etiam in Satana existat Deus, ita respondit: *Quandoquidem Sol, etsi creatura sit, lumentosa loca sua luce perfundit, neque quidquam læditur; multo magis Divinum Numen ita cum Satana versari, ut neque commaculetur, neque labis aliquid inde concipiat* (f).

Dei aternitate Dei.

DEFINITIO III.

37. Dicitur aeternum, proprie loquendo, quod ita existit, ut non solum initio existendi careat, atque fine, verum etiam ut sit ab omni successione, sive mutabilitate prorsus immune. Ut enim præclare observat Richardus Victorinus, aliud videtur sonare aeternum, aliud autem sempiternum. Sempiternum namque esse videtur, quod caret initio, & fine,

(a) S. Augustinus epist. CLXXXVII. num. 14., alias LVII.

(b) Ennead. VI. lib. V. cap. 4.

(c) Apud Aristotelem lib. I. de anima c. 5.

(d) In Psalmum 122.

(e) Epist. CLXXXVII. num. 16., alias LVII.

(f) Homil. 7.

ne. *Æternum*, quod caret utroque, & omni mutabilitate; & quamvis forsitan neutrum sine altero invenitur recte tamen inter nominum significationem distinguitur. Quid itaque aliud est aternitas, quam diuturnitas sine initio, & sine, & carens omni mutabilitate (a)? Recte propterea Boetius, quem omnes Theologi hac in parte sequuntur, aternitatem definit: *Interminabilis vita tota simul, & perfecta possessio* (b).

P R O P O S I T I O VI.

Deus est aternus.

38. *Probat*ur. Deus ita est primum *ens*, ut nullum sit, nec esse possit, a quo dependeat, utpote in omni linea infinite perfectum (§. 14.). Ergo ita existit, ut neque habuerit existendi initium, neque habiturus sit finem. Repugnat quippe, ut cœperit esse, quod non habet, a quo illud accipiat; utque penitus extingatur & pereat, quod nulli subicitur. Initio itaque caret Deus, atque fine. Est autem ab omni etiam mutabilitate immunis (§. 33.). Ergo est aternus.

Ceterum, *Deum aternum esse, cunctorum ratione degentium*, inquit Boetius, *commune iudicium est* (c). Nullus est enim, doctissimo Petavio teste, qui non aternum, qualecunque tandem finxerit sibi, *Numen agnoscat* (d).

De omnipotentia Dei.

39. De Divina omnipotentia senserunt haud recte primo Manichæi; quippe qui arbitrabantur, materiam non factam fuisse ex nihilo, sed Deo esse cœternam; atque, ut ex Theophilo Alexandrino dicebat Origenes, tantum posse Deum, *quantum ei ad operandum materia ministravit* (e). Secundo Ariani, contententes, Deum Patrem ita indigere Filio ad operandum, ut eo, tamquam instrumento, ad res creandas usus fuerit. Tertio Petrus Abaleardus, cum docuit, *id solum posse facere Deum, quod quandoque facit* (f). Postremo Vicleffus, Calvinus, iique omnes, quorum fuit opinio, nihil amplius posse a Deo fieri, quam quod factum ab illo est, futurumque esse jam dixit.

Phil. Ment. T. II.

(a) Lib. II. *de Trinitate* cap. 4.

(b) Lib. V. *de consol.* prof. 6.

(c) Idem *Ibidem*.

(d) Tom. I. *Theol. Dogm.* lib. III. cap. 3.

D d 3

(e) *Epist. Paschal.* I. apud Cl. Petavium

Tom. I. *Theol. Dogm.* lib. V. cap. 5.

(f) Lib. III. *Introduct.* cap. 5.

DE-

DEFINITIO III.

40. Vocatur *omnipotens*, qui *facere poteſt id omne*, quod *ſufficiens ſibi exiſtendi ratio non eſt*, neque tamen aliquam in ſua *formali ratione contradictionem comprehendit*. Etenim, ut habet Boetius, qui eſt *omnium potens*, nihil eſt, quod ille non poſſit (a): nihil, inquam, hoc eſt, nulla rerum earum, quæ nequeunt eſſe a ſe, nec, ipſis poſitis, aliqua ſequitur *contradictio*. Quæ namque pugnancia continent, nulla poſſe potentia fieri, manifeſtum eſt.

PROPOSITIO VII.

Deus eſt omnipotens.

41. *Probatur*. Maxima perfectio eſt iis omnibus tribuere *exiſtentiam poſſe*, quæ in ſua *formali ratione pugnancia quidem non continent*, at non ſunt *ſufficiens ſibi ratio*, ut exiſtant. Ergo, cum Deus ſit *ens* in omni linea infinite perfectum (§. 14.), hæc itidem potentia tribuenda Deo eſt; atque ideo Deus eſt *omnipotens*.

Confirmatur. Potuit Deus facere, quidquid præter ipſum Deum modo exiſtit. Nihil enim horum eſt a ſe, utpote nullum, ut patet, in omni genere infinite perfectum. Ergo facere itidem poteſt, quidquid modo non eſt, nullamque in ſua *formali ratione contradictionem involvit*. Quæ etenim non exiſtunt modo, & non repugnant, ejuſdem penitus ſunt conditionis, cujus, antequam fierent, ea fuerunt omnia, quæ reapse exiſtunt.

Ceterum, quemadmodum, ipſa veluti impellente natura, fateri cogimur, Deum eſſe *aternum*, ita, ſi ad ejuſdem naturæ impulſum velimus attendere, dare debemus vel inviti, Deum omnia poſſe. Non dico, *da mihi Chriſtianum*, inquit S. Auguſtinus, *da mihi Judæum*; ſed *da mihi Paganum, idolorum cultorem, demonum ſervum, qui non dicat, Deum eſſe omnipotentem. Negare Chriſtum poteſt; negare omnipotentem Deum non poteſt* (b).

De ſcientia Dei.

42. Pauca de *ſcientia Dei* hic ſubiicimus. Pauca, inquam. Res enim ſublimeris eſt ordinis, quam ut de ea a Philoſopho differi poſſit.

PRO-

(a) Lib. III. de conſol. prof. 12.

(b) Serm. CXXXIX. de tempore cap. 2

PROPOSITIO VIII.

Nihil omnino est, sive possibile, sive futurum, quod Deus perfectissime non cognoscat.

43. *Probatur, & quidem primo quoad possible.* Nihil est possibile, quod non subit Divinæ potentiae. Ergo nihil quoque possibile est, quod Divinam scientiam fugiat. Ut enim *potentia* Dei non esset infinita, si aliquod possibilem facere ipsa nequiret; ita infinita non esset Divina *scientia*, si illorum aliquod ipsam lateret.

Confirmatur. Novit Deus, quæ facta ab eo sunt. Neminem quippe, ut loquar cum S. Augustino, tam excordem esse puto, ut Deum, quæ non noverat, fecisse arbitretur (a). Ergo omnia, quæ fieri ab eo possunt, itidem noscit. Periti namque artificis est, non minus optime scire, quæ facit, quam non ignorare, quæ potest.

Probatur modo quoad futura. Nihil futurum est, quod habeat independentem a Deo, ut sit futurum. Futurum est enim, quod Deus ipse vel facturum est, vel permissurus. Nihil est autem magis absurdum, quam velle, Deum latere, quod ipse jam facturum est, vel permissurus. Ergo nihil prorsus futurum est, quod Deus perfectissime non cognoscat.

Deum porro novisse *futura* ab æterno, ex eo efficitur perspicuum, quod si secus, realis mutatio in Deo contingeret. Remanet igitur, *Divinitatis id esse proprium, ut nihil ignoret* (b);

S C H O L I O N.

44. *Cognitio possiblem dicitur a Theologis scientia simplicis intelligentia; ea vero, quæ præscientia respicit, atque futura, scientia visionis ab iisdem nuncupatur.* Scientia futurorum solet etiam *præscientia* vocari, propterea nimirum quia rerum ipsarum existentiam præcedat. Divinam porro *præscientiam* humanæ libertati nequaquam officere, cum superiori loco satis, ut arbitror, ostensum fuerit, non est, cur in hoc iterum solvendo nodo immoremur.

D d 4

DIS-

(a) Lib. V. *super Genesim ad literam.*
num. 33, alias cap. 15.

(b) S. Cyrillus lib. XXXII. *Theauri.*

DISSERTATIO II.

De Deo providente, concurrente,
& prædeterminante.

SUSCEPTO muneri minime satis me fecisse arbitrarer, nisi, ostensa unius supremi Numinis existentia, cuncta ab eo dirigi, ac nihil prorsus, eo nolente, peragi ab illis posse, demonstrarem. Quemadmodum enim nullus Deus illi est, qui non unam, sed plures esse primas causas, putat; ita omnem is evertit, tollitque divinitatem, qui aut imbellem, aut plane otiosum Deum sibi stulte fingit, turpiterque constituit. Tria igitur ad trutinam in hac dissertatione revocabimus. Primum erit: *an cuncta, quæ facta a Deo sunt, ejusdem providentiæ subiiciantur.* Secundum: *an ad omnes creaturarum actiones Deus immediate concurrat.* Postremum: *an easdem ipsas ad operandum ille præmoveat.*

SECTIO PRIMA.

An cunctæ res creatæ providentiæ subiiciantur.

45. **N**ULLA mundum providentiæ regi, nullaque administrari potentia, non defuere, qui dixerint. *Quid enim, ajebat Job, perditorum quorundam hominum personam referens, novit Deus, & quasi per caliginem judicat? Nubes latibulum ejus, nec nostra considerat, & circa cardines cæli perambulat (a).* Democritus certe, Heraclites, & Epicurus, auctore Nemefio, *neque universis, neque singulis a Deo provideri, opinabantur. Atque hi quidem, inquit ille, convenienter suis principiis. Nam, qui putant, hoc universum casu, & temere esse constitutum, merito dicunt, omnia vacare providentiæ. Quorum, enim nemo creator est, eorum quis est procurator? Est enim evidens, temere debere ferri, quæ a principio temere procreata sunt (b).* Divinam providentiæ ii quoque sustulerunt, quorum erat opinio; *stellis non exteriora solum, verum etiam voluntates nostras cogi (c), sive omnia fato fieri (d), dignumque esse risu, qui putat, agere curam rerum humanarum illud, quidquid est, summum (e).* Hi sunt

(a) Cap. XXII. v. 13. & seq.

(b) Lib. de natura hominis cap. 44.

Tom. VIII. Bibliot. PP.

(c) Eusebius lib. VI. de præp. Evan. c. 9.

(d) Chrysippus apud Eusebium lib. VI. de præp. Evangel. cap. 7.

(e) Plinius lib. II. Hist. naturalis cap. 7.

igitur, qui tot sæculis, & ingenis assertam atque defensam providentiam calumniati sunt. Quid ergo, utrumne istos minutos & inertes Philosophos ratione, an vero auctoritate præstantium virorum refellemus? an potius utroque. Sed properandum est, ne longius a materia divagetur oratio (a).

S C H O L I O N.

46. *Deiſta* dicuntur modo qui inique aſſerunt, humana res nequaquam a Deo curari.

D E F I N I T I O.

47. *Providentia*, ut eam egregie definit Boetius, est ipsa illa divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit (b); sive, ut ait Nemesius, est Dei voluntas, per quam omnia, quæ fiunt, apte gubernantur (c). Duo ergo necessario complectitur providentia, rerum scilicet ordinem in divina mente, atque ipsius ordinis per certa media executionem.

P R O P O S I T I O U N I C A.

Mundus, quæque in eo sunt omnia, quantumvis minuta atque vilia, divinæ providentiæ subiiciuntur.

48. Non unum est argumentorum genus, quibus ostenditur, cuncta regi a supremo Numine, ab eoque singula, etsi vilissima ac minuta, sapientissime administrari, suosque in fines dirigi.

I.

49. Prima ratio ex eo petitur, quod nullus sit, non imperitus solum, verum & impius, qui, si ad interiores sui animi motus attendere velit, negare queat, unum esse Deum, qui & condiderit omnia, & eadem, qua condidit, virtute moderetur (d). Res singulas regi providentia, magno argumento est, inquit Nemesius, quod naturaliter ejus notitia hominibus sit insita. Nam necessitate aliqua compulsi, statim ad Numen divinum, & preces confuzimus, velut natura nos sine doctrina

(a) Lactantius lib. de ira Dei cap. 9.

(b) Lib. IV. de Consol. profa 6.

(c) Lib. de natura hominis cap. 43.

(d) Lactantius lib. I. Divin. Instit. cap. 3.

na ad Dei opem perducente . Non autem sine doctore nos natura ad id duceret , quod eadem natura non fert , ut fiat . Nam in repentinis perturbationibus & timoribus , sine electione , neque deliberate , & tamquam aliquid consideremus , Dei nomen invocamus . Quidquid autem naturaliter quamque rem insequitur , in eo tanta vis est ad demonstrandum , ut contra dici nihil possit (a) .

I I.

50. Naturæ testimonio de providentia Dei auctoritas summorum Philosophorum mirifice consentit. Pythagoras Philosophus , quem quasi magistrum suum Philosophia ipsa suscepit , de natura ac beneficii Dei differens , sic locutus est : Animus per omnes mundi partes commensans atque diffusus , ex quo omnia , quæ nascuntur animalia , vitam capiunt . Quomodo igitur mundum negligere Deus dicitur , quem hoc ipso scilicet satis diligit , quod ipsum se per totum mundi corpus intendit ? Plato , & omnes Platoniceorum schola moderatorum rerum omnium confitentur Deum . Stoici eum , gubernatoris vice , intra id , quod regit , semper manere , testantur . Quid potuerunt de affectu ac diligentia Dei rectius religiosusque sentire , quam ut eum gubernatori similem esse dicerent ? hoc utique intelligentes , quod sicut navigans gubernator nunquam manum suam a gubernaculo , sic nunquam penitus curam suam Deus tollit a mundo ; at sicut ille & auras captans , & saxa vitans , & astra suspiciens , totus sit simul , tam corporis , quam cordis officio , operi suo deditus , ita scilicet Deum nostrum ab universitate omnium rerum nec munus dignatissima visionis avertere , nec regimen providentiæ suæ tollere , nec indulgentiam benignissimæ pietatis auferre . Unde etiam illud mysticæ auctoritatis exemplum , quo se non minus Philosophum Maro probari voluit , quam Poetam , dicens : Deum namque ire per omnes , terrasque tractusque maris , cœlumque profundum . Tullius quoque , nec vero Deus ipse , inquit , qui intelligitur a nobis alio modo intelligi potest , quam mens soluta quædam , & libera , segregata ab omni concretionem mortali , omnia sentiens , & movens . Alibi quoque : nihil enim , inquit , præstantius Deo . Ab eo igitur mundum regi necesse est . Nulli igitur naturæ obediens , aut subjectus Deus , omnem ergo regit ipse naturam . Cum ergo omnes , etiam religionis expertes , veluti quadam necessitate compulsi , & sentiri omnia a Deo , & moveri , & regi , dixerint , quomodo nunc eum incuriosum quidam , ac negligentem putant , qui & sentiat omnia per subtilitatem , & moveat per fortitudi-

(a) Lib. de natura hominis caput 44.

tudinem, & regat per potestatem, & custodiat per benignitatem? Dixi, quid de majestate ac moderamine summi Dei Principes & Philosophia simul & eloquentia judicaverint. Ideo autem nobilissimos utriusque excellentissima artis magistros protuli, quo facilius vel omnes alios idem sensisse, vel certe sine auctoritate aliqua dissensisse monstrarem (a).

I I I.

51. Dei sublata providentia, omnis religio rejicienda est, omnisque justitia, pietasque dubio procul est deridenda. Rejicienda est omnis religio, omnisque pietas. *Hac enim omnia, ut præclare advertit Tullius, pure ac caste tribuenda Deorum numini ita sunt, si animadvertuntur ab his, & si est aliquid a diis immortalibus hominum generi tributum. Sin autem dii neque possunt nos juvare, neque volunt, neque omnino curant, nec quid agamus, animadvertunt, nec est, quod ab his ad hominum vitam permanere possit, quid est, quod ullos diis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus (b)? Et sane, quis honos, inquit Lactantius, deberi potest nihil curanti & ingrato? An aliqua ratione obstricti esse possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? Deus, inquit Cicero, si talis est, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Quid enim dicam, propitius sit? Esse enim propitius potest nemini. Quid contemptius dici potuit in Deum? Valeat, inquit, id est abeat, & recedat; quandoquidem prodesse nulli potest (c). Itaque, si Dei providentia non præsidet rebus humanis nihil est de religione satagendum (d). Nulla quoque, hac admessa sententia, justitia esse potest, cui tota innititur humana societas. Haud enim scio, ait Tullius, an, pietate adversus Deos sublata, fides etiam, & societas humani generis, & una excellentissima virtus, justitia, tollatur (e). Certe, ut auctor est Lactantius, quid erit hominem truculentius, quid immitius, si demto metu superiore, vim legum aut fallere potuerit, aut contemnere (f)? Multum refrænat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere, si non tantum, quæ gerimus, videri de super, sed etiam, quæ cogitamus, aut loquimur, audiri a Deo, putemus (g). Timor igitur Dei solus est, qui custodit hominum inter se societatem, per quam vita ipsa subsistet, munitur gubernatur (h); & ideo, nisi velimus, ad humanam*

(a) Salvianus lib. I. de gubernatione Dei Tom. VIII. Biblioth. Patrum.

(b) Lib. I. de natura Deorum cap. 2.

(c) Lib. de ira Dei cap. 8.

(d) S. Augustinus de utilitate credendum. 34., alias cap. 16.,

(e) Lib. I. de natura Deorum cap. 1.

(f) Lib. de ira Dei cap. 12.

(g) Idem ibidem cap. 8.

(h) Idem ibidem cap. 12.

nam societatem servandam, tutandamque iustitiam universali opus esse errore, atque totum ipsum humanum genus, cum Deum, veluti parentem optimum, & curatorem summum veneratur colitque, turpiter falli, divinam providentiam admittamus oportet, cuius potestate omnia, quæ conspicimus, condita primo fuerint, sapienterque regantur.

I V.

52. Verum, sicuti ipsa rerum pulchritudo, ab Opifice sapientissimo conditum fuisse Mundum, demonstrat, ita rerum earum perpetuitas, constans ordo, stabilisque in suis agendis motibus harmonia atque consensus plane ad evidentiam evincunt, divina mundum ipsum providentia regi, consilioque supremi Numinis perpetuo administrari. *Omnium permanentia, & maxime eorum, inquit Nemeseus, quæ oriuntur & occidunt, situs item, & ordo rerum, qui semper idem conservatur, & astrorum cursus, qui nihil unquam variatur, & annui circuitus, & anni temporum restitutio, noctium, & dierum semel in anno equalitas, utriusque vicissim, neque majore, neque minore parte, augescentibus, & decreescentibus, quomodo, si nemo provideat, similiter administrari, & permanere potest (a)?* Profecto, si breve hoc, & modicum corpus, ait S. Joannes Chrysostomus, & medicaminibus, & medicinali scientia utens, & anima interius ipsum disponente, & multa disciplina, & innumerabilibus aliis auxiliis, non semper in bono statu permanere valet, sed perit & corrumpitur, sapius turbatione in ipso facta; quomodo tantus mundus, tantas habens corporum moles, & ex iisdem compositus elementis, nisi multum providentia cepisset, tanto tempore imperturbatus manere potuisset? Nec enim cum ratione fieri posset, ut providentiam quidem habens interius, & exterius nostrum corpus, vix ad sui conservationem sufficiat; tantus vero mundus nulla vigens providentia, per tot annos nil tale patiatur, quale corpus nostrum. Quomodo enim nullum horum elementorum, quæso, proprius transcendit terminos, & reliqua omnia consumsit? Quis vero ipsa ab initio conjunxit? Quis vero usque in tantum tempus continet? Si enim simplex & uniforme fuisset mundi corpus, non tam difficile fuisset, quod dicitur; quando autem tanta elementorum pugna fuit ab initio, quis tam demens, ut patet, sine cogente hac per se convenisse, & conjuncta mansisse? Si enim nos non natura, sed voluntate inimice inter nos habentes, sponte non convenimus, donec manemus inimici, & ingrante alter ad alterum habemus,

(a) Lib. de natura hominis cap. 42.

mus; sed alterius, qui nos jungat, indigemus, & postquam congregaverit, constringat, & in pace manere persuadeat, neque rursus resilire; quomodo elementa neque rationis, neque ullius sensus partem habentia, & sibi per naturam inimica & adversantia, convenissent, & congressa fuissent, & alterum cum altero potuissent permanere, nisi potentia quadam esset ineffabilis, qua congregaret, & congregata semper hoc vinculo cohiberet? Non cernis, quomodo corpus hoc, anima avolante, defluit, & tabescit, & perditur, & in suum quodque elementorum revertitur terminum? Hoc ipsum profecto & in ipso feret mundo, si ipsum reliquisset propria destitutum providentia. Si enim navigium sine gubernante non persisteret, sed facile submergeretur, quomodo subsisteret mundus tantum temporis, gubernante nemine? Et ne quid plus dicam: navigium, mundum esse puta; temonem, suppositam terram; velum, cælum; vectores, homines; mare, subjectam abyssum; quomodo igitur tanto naufragium tempore non esset factum? Dimitte enim navigium per diem unum absque gubernatore, & nautis, & statim submersum videbis. Sed mundus tale nihil passus est, quinque millia & plus jam habens annorum. Et quid dico navigium? Casulam aliquis parvam in vineis compegit, & fructu ablato desertam reliquit, & neque duos saepe dies permanet, sed solvitur, & brevi cadit. Igitur tugurium quidem absque providente non staret; creatura vero tanta, tam pulchra, tam mirabilis, & leges noctis, & dici, alternarumque horarum chorea, & natura cursus varius, & omnimodus in terra, & in mari, & aere, & cælo, & plantis, & animalibus volantibus, natatilibus, gradientibus, serpentibus, & in hominum genere omnibus illis validiore, tantum temporis, absque aliqua providentia, stabilis permanisset (a)? Hæc itaque attento qui perpenderit animo, non dubito, quin fatetur cum Lactantio, neminem esse posse tam rudem, tamque feris moribus, qui oculos suos in cælum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentia regatur hoc omne, quod cernitur, non aliquam tamen esse intelligat (b).

V.

53. Certum natura ipsa Dei demonstrat; eum rebus cunctis indefinenter prospicere. *Natura bonus est, & sapiens, inquit S. Joannes Damascenus. Igitur, quatenus est bonus, providet. Qui enim non providet, non est bonus. Nam & homines, & bestie propriorum factuum providentiam habent, naturali quodam instinctu; & qui non providet, vi-*

tu-

(a) Homil. X. ad populum Antiochenum.

(b) Lib. I. Divin. Instit. cap. 3.

tuperari solet. Quatenus autem sapiens est, optime rebus prospicit (a). Profecto, si S. Ambrosium audierimus, quis operator negligat operis sui curam? Quis deserat, & destituat, quod ipse condendum putavit? Si injuria est regere, nonne est major injuria fecisse; cum aliquod non fecisset, nulla injuria sit; non curare, quod feceris, summa inclementia (b). Hinc Lactantius contra Epicurum rem agens, si inquit, est Deus, utique providens est, ut Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi & praterita teneat, & presentia sciat, & futura prospiciat. Dum igitur providentiam sustulit (Epicurus), etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, & providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest (c).

V.

54. Non ea porro dumtaxat, quæ sublimioris sunt ordinis, præstantiorisque naturæ, Divinæ providentiæ subjici, sed etiam infima quæque, atque vilissima, hac una ratione ostenditur. Si namque Deus, neglectis, quæ exigui nobis momenti videntur, præstantissima tantummodo administraret, suaque providentia regeret, vel ob eam causam id ab illo fieret, quia minimis providere non potest, vel quia non vult, licet possit. Utrumque autem absurdissimum est. Primum quidem; quia, si nequit minima regere, non est agens summe perfectum; & ideo non est Deus. Alterum vero; quia, si potest, & non vult, vel invidus est, vel apprime negligens; ac proinde non summe bonus, neque propterea Deus. Dicere, *nolle Deum*, inquit Alexander Aphrodiensis, *rebus nostris providere, prorsus alienum est a Deo. Est enim invidiæ cujusdam, & malignæ penitus naturæ, meliora, cum possit, non facere (d).* Non minus quoque absurdum est, si dicatur, a Deo negligi, quæ vilia sunt, atque minuta, propterea quia illius scientiam fugiant. Sequitur enim Divinam cognitionem non esse infinitam. *Nulla igitur Mundi particula Dei providentiam eflugit (e);* utque optime scripsit Ammonius, *nullus esse potest vel tam pusillus, ut terra profundum subiens, latere possit providentiam illam, quæ omnia etiam minima contemplatur; neque tam magnus, ut supra cælum evolet, & extra moderantem cuncta providentiam consistat (f).*

C o-

(a) Lib. II. de Fide cap. 29.

(b) Lib. I. de Officiis cap. 13.

(c) Lib. de ira Dei cap. 9.

(d) Apud S. Cyrillum Alexandrinum lib. II. contra Julianum.

(e) Eusebius lib. XII. de præp. Evangel. cap. 28.

(f) Comment. in lib. Aristotelis de interpretatione.

COROLLARIUM.

55. Nullum igitur est *fatum* a *Divina providentia* diversum. Si autem quisquam *fato* tribuit, inquit S. Augustinus, quia ipsam *Dei voluntatem*, vel *potestatem fati nomine appellat*, *sententiam teneat*, & *linguam corrigat* (a).

Objecta diluuntur.

Opponitur. 1. Manifestum experientia est, impios prosperam in hoc Mundo vitam agere, contra vero affligi justos, omnique prorsus eos solatio destitui. Ergo vel nulla *Dei providentia* est, vel *Deus* non est justus.

R. *nego consequ.* Tantum enim abest, ut hinc vel *injustitiæ* accusari *Deus* possit, vel *illius negari providentia*, quin potius & summe justus, & maxime providus hinc *Deus ipse* appareat. Si enim, ut egregie observat S. Augustinus, *nunc omne peccatum manifeste plecteret pœna*, nihil ultimo *judicio servari* putaretur. Rursus si nullum peccatum nunc puniret aperte *Divinitas*, nulla esse *providentia Divina* crederetur. Similiter in rebus secundis, si non eas *Deus* quibusdam *petentibus* evidentissima largitate concederet, non ad eum ista pertinere dicemus; itemque si omnibus eas *patentibus* daret nonnisi propter talia *præmia* *serviendum* illi esse *arbitraremur*; nec *pios* nos faceret talis *servitus*, sed potius *cupidos & avaros* (b). Itaque, cum nullus sit neque tam bonus, qui non aliquando delinquat, neque tam malus, qui aliquod morale bonum quandoque non agat, æquum est, ut mali vitam agant prospere, affluentque divitiis: boni vero ex adverso ut in summa etiam versentur egestate, & calamitatibus premantur, ne scilicet, aut *virtus sine præmio*, aut *peccatum sine pœna supplicioque* in hoc etiam Mundo remaneat.

Opponitur 2. cum Epicuro apud Lactantium: *Deus aut vult tollere mala, & non potest, aut potest, & non vult; aut neque vult, neque potest; aut & vult, & potest. Si vult, & non potest, imbecillis est, quod in Deum non cadit. Si potest, & non vult, invidus, quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque potest, & invidus, & imbecillis est, ideoque neque Deus: Si vult, & potest, quod solum Deo convenit, unde ergo sunt mala? aut cur illa non tollit* (c)?

R.

(a) Lib. V. de civitate Dei cap. 10.

(c) Lib. de ira Dei cap. 13.

(b) Lib. I. de civitate Dei cap. 8.

R. Deum impedire posse omnia mala, sed nolle; neque tamen improvidum esse, aut invidum. *Potest mala tollere (Deus), inquit laudatus Auctor, sed non vult; nec ideo tamen invidus est. Idcirco enim non tollit, quia & sapientiam simul tribuit, & plus boni ac jucunditatis in Sapientia, quam in malis molestia. Sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoscamus, & per eam cognitionem, immortalitatem assequamur, quod est summum bonum (a).* Et sane, ut ille paulo antea dixerat, non potest quisquam eligere meliora, & scire, quid bonum sit (quod ad sapientiam spectat) nisi sciat simul rejicere, & vitare, quae mala sunt. Invicem sibi alterutrum connexa sunt, ut sublato alterutro, utrumque tolli, necesse sit. Propositis igitur bonis, malisque, tum demum opus suum peragit Sapientia, & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad salutem. Ergo sicuti bona innumerabilia data sunt homini, quibus frui posset; sic etiam mala, quae caveret. Nam si malum nullum sit, nullum periculum, nihil denique, quod ledere hominem possit, tollitur omnis materia Sapientia, nec erit homini necessaria. Positis enim tantummodo in conspectu, bonis, quid opus est cogitatione, intellectu, scientia, ratione? cum quocumque porrexerit manum, id naturae aptum & commodum sit; ut si quis velit apparatusissimam cenam infantibus, qui nondum sapiant, apponere, utique id appetent singuli, quo unumquemque aut impetus, aut fames, aut etiam casus attraxerit, & quidquid sumpserint, id illis erit utile, ac salubre. Quid igitur nocebit, eos, sicuti sunt, permanere, & semper infantes, ac nescios esse rerum? Si autem admisceas vel amara, vel inutilia, vel etiam venenata, decipiuntur utique per ignorantiam boni, ac mali, nisi accedat his sapientia, per quam habeant malorum rejectionem, bonorumque delectum. Vides ergo, magis propter mala opus bonis esse Sapientia: quae nisi fuissent proposita, rationale animal non essemus (b). Adde ex Angelico Doctore, multa bona esse in rebus, quae nisi malant essent, locum non haberent; sicut non esset patientia justorum, si non esset malignitas persequentium; nec esset locus justitiae vindicativa, si delicta non essent. In etiam rebus naturalibus non esset unius generatio, nisi esset alterius corruptio. Si ergo malum (concludit Vir summus) totaliter ab universitate rerum per Divinam Providentiam excluderetur, oporteret etiam bonorum multitudinem diminui (c).

Neque omittendum videtur, ad Mundi pulchritudinem etiam mala conferre plurimum, ipsamque Dei Sapientiam, atque potentiam ex illis luculentissime demonstrari. In hac rerum universitate etiam
il-

(a) Lib. de ira Dei cap. 13.

(b) Ibidem.

(c) Lib. III. contra Gentiles cap. 71.

illud, inquit S. Augustinus, *quod malum dicitur, bene ordinatum, & suo loco positum, eminentius commendat bona, ut magis placeant, & laudabiliora sint, dum comparantur malis. Nec enim Deus omnipotens (quod etiam infideles fatentur, rerum cui summa potestas) cum summe bonus sit, ullo modo sineret mali esse aliquid in operibus suis, nisi usque adeo esset omnipotens, & bonus, ut bene faceret etiam de malo (a). Noluit Deus, etsi potuerit, nulla mala permittere, neque propterea vel improvidus censeri debet, vel minus bonus, minusque sapiens est dicendus.*

Opponitur 3. S. Hieronymus aperte negat, Divinam providentiam ad vilia, & minutissima sese extendere. Hæc enim habet: *Absurdum est, ad hoc Dei deducere Majestatem, ut sciat per momenta singula, quot nascantur culices, quotve moriantur: qua cimum, pulicum, & muscarum sit in terra multitudo: quanti pisces in aqua natent..... Non sumus tam fatui adulatores Dei, ut dum potentiam ejus etiam ad ima detrahimus, in nos ipsos injuriosi simus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam esse dicentes (b). Ergo &c.*

Re. neg. aîs. Non enim S. Doctor res, quæ minutæ vilissimæque censentur, ab omni prorsus providentia excludit; sed a speciali tantum, ab ea scilicet, qua rationalia reguntur. Postquam enim dixit nos non ita fatuos adulatores Dei esse debere, *ut dum potentiam ejus ad ima detrahimus, in nosmetipsos injuriosi simus, eandem rationalium, quam irrationalium providentiam esse dicentes*, statim infert, librum illum pro apocrypho habendum esse, *in quo scriptum est, quemdam angelum nomine Tyri præesse reptilibus.* Unde patet, S. Hieronymum non negare eo loci, minutas res Divinæ providentiæ subjeci, sed tantum eas non ita ab illa dependere, ut rebus ipsis, quemadmodum hominibus, angeli præsent. Ceterum tantus Doctor apertissime sibi adversaretur, si Divinam providentiam ad viliora atque minuta non se extendere ipse putaret. Contrarium enim manifeste docet exponens illa verba Christi Domini: *nonne duo passeret asse veneunt (c).* Ait enim: *Si parva animalia absque Deo auctore non decidunt, & in omnibus semper est providentia, & qua in his peritura sunt, sine Dei voluntate non pereunt; vos, qui aeterni estis, non timere debitis, quod absque Deo vivatis providentia.* Neque prætermittendum postremo, non deesse, qui velint, laudatum S. Hieronymi locum esse unum ex illis, quos ipse S. Doctor ait, *se in Commentariis super Prophetas non ex sua, sed ex aliorum sententia exposuisse (d).*

Phil. Ment. T. II.

E e

SE-

(a) *Enchirid. n. 3., alias cap. 11.*

(b) *Comment. in cap. I. Abacuc.*

(c) *Matthæi cap. X. v. 29.*

(d) *Lib. contra Rufinum.*

S E C T I O S E C U N D A .

An ad omnes creaturarum actiones Deus ipse immediate concurrat.

56. **V**idimus, nihil contingere in Mundo, quod Divinae providentiae nequeat acceptum referri. Expendendum modo, an omnia agentia creata ita a Deo dependeant, ut agere nihil possint, quin ipse Deus ad illorum actiones immediate concurrat. Dupliciter autem potest Deus immediate concurrere ad actiones creaturarum, scilicet immediate *immediatione virtutis*, & immediate *immediatione suppositi*.

D E F I N I T I O .

57. Ad omnes creaturarum actiones concurrere dicitur Deus immediate *immediatione virtutis*, quatenus *eam vim illis contulit, qua operantur, suosque effectus producant*. Dicitur vero cum illis concurrere immediate *immediatione suppositi*, si ita cum illis agat, dum agunt, ut *existentiam effectus sua & ipse Deus actione immediate attingat*.

A N I M A D V E R S I O .

58. Deum occurrere immediate *immediatione virtutis* ad omnes effectus, qui a causis creatis producantur, nemini dubium esse potest. A Deo enim habet creata causa vim, qua operetur, quemadmodum ab illo habet, ut existat. An autem ad omnes creaturarum actiones concurrat etiam immediate *immediatione suppositi*, non una omnium opinio est. Negat Durandus. Affirmant reliqui Philosophi, atque Theologi, apud quos propterea Durandus non bene audit. Negativa tamen sententia non ita Durandi est propria, ut omnium ille primus eam in scholas invexerit. Vetustissima est enim, si credimus S. Augustino. *Sunt, inquit S. Doctor, qui arbitrantur, tantummodo Mundum ipsum factum a Deo, cetera jam fieri ab ipso Mundo, sicut ille ordinavit & jussit: Deum autem ipsum nihil operari (a)*. Contra hos ergo sic

PRO.

(a) Lib. V. *super Genesim ad litteram*
num. 40.; alias cap. 40.

PROPOSITIO UNICA.

*Deus concurrit ad omnes creaturarum actiones immediate
immediatione non tantum virtutis, sed etiam suppositi.*

59. *Probatur.* Si namque Deus non concurreret ad actiones creaturarum immediate *immediatione suppositi*, sed tantum *virtutis*, earum effectus non dependerent a Deo *immediate*, & *per se*, sed *mediate* tantum, & *per accidens*. Effectus enim non dependet *immediate*, & *per se*, nisi ab eo, per cuius actionem existit. Absurdum autem videtur, ut effectus causæ creatæ dependeat *immediate*, & *per se* a creatura; a Deo autem tantum *mediate*, & *per accidens*, sive, ut magis a creatura, quam a Deo dependeat. Ergo non *immediate immediatione* dumtaxat *virtutis*, verum etiam *suppositi* ad omnes creaturarum actiones Deus concurrit.

Confirmatur. Nulla creatura sibi sufficit, ut existat. Ergo nulla quoque sibi fatis est, ut operetur. Operari enim sequitur esse, modusque operandi modo essendi, quemadmodum ajunt Philosophi, plane respondet. Ut autem creatura existat, immediato Dei concursu opus illi est. Ergo eodem est illi opus, ut operetur.

Satisfit objectionibus.

Arguitur primo in oppositum. Constat ex Scriptura, Deum reliquisse hominem *in manu consilii sui* (a); & ex S. Augustino, Deum sic omnia, quæ creavit, administrare, *ut etiam ipsa proprios exercere & agere motus sinat* (b). Ergo *immediate* concurrit Deus ad omnes creaturarum actiones *immediatione* quidem *virtutis*, at non *suppositi*.

R. neg. conseq. Id enim neque ex S. Scriptura, neque ex laudatis verbis S. Augustini legitime sequitur. Mens namque Ecclesiastici eo loci est, notum omnibus facere, arbitrii libertate hominem fuisse a Deo donatum, sicque Deum ad omnes illius actiones concurrere, ut electio ad unum in plena ejusdem sit potestate. Non secus quoque de S. Augustino dicendum est. Vult nempe S. Doctor, Mundum ita a Divina providentia regi, ut nullam creatam causam ad operandum cogat. Profecto aperte ille docet, contra eos, qui ajunt, *tantum-*

E e 2

modo

(a) *Ecclesiastici* cap. XV. v. 12.

(b) Lib. VII. *de civitate Dei* cap. 30.

modo Mundum ipsum factum a Deo; cetera jam fieri ab ipso Mundo, sicut ille ordinavit & iussit. Deum autem ipsum nihil operari: contra hos, inquam, docet aperte, proferri illam Domini sententiam. Pater meus usque nunc operantur (a). Eodem porro modo ceteris omnibus haud dissimilibus SS. Patrum testimoniis satis efficitur.

Arguitur 2. Si Deus concurreret immediate immediatione suppositi ad omnes creaturarum actiones, actio peccaminosa non minus Deo, quam homini imputari posset. Tunc enim eadem pro utroque ratio est. Hoc autem videtur absurdum. Ergo &c.

R. neg. consequutionem majoris, & ratio discriminis est; quia Deus, ut author naturæ, tenetur ad omnes sive bonas, sive malas creaturarum actiones concurrere, & ideo actio mala nequit Deo imputari, sed homini imputanda unice est; quia homo ita illam ponit, ut ipsam non ponere teneatur. Certe neque homini ea jure imputatur actio, ad quam eliciendam aliqua necessitate compellitur. Teneri porro Deum ad omnes etiam malas creaturarum actiones concurrere, videtur perspicuum. Cum enim condiderit hominem libero arbitrio præditum, ipsumque in manu consilii sui reliquerit, necesse proculdubio est, ut Divinus concursus sit ad hominis actiones tam bonas, quam malas ex æquo paratus.

Dices: actiones hominis bonæ Deo acceptæ referuntur. Ergo referri eidem debent etiam malæ, si, ut ad bonas, ita ad malas Deus ipse immediate concurrat.

R. disting. aſs; actiones hominis bonæ Deo acceptæ referuntur; quatenus ad eas concurrat concursu generali, & ut author naturæ, nego aſs; quatenus ad eas concurrat concursu etiam speciali, & per gratiam, concedo aſs, & nego conseq. Actiones bonæ acceptæ referuntur Deo, quia ad eas concurrat non tantum concursu generali, sed etiam speciali, hominem scilicet interius excitando ad bonum, eique auxilium gratiæ conferendo, sine quo bene agere nequaquam potest.

Arguitur 3. Deus prohibet actum malum. Ergo ad illum non concurrat. Repugnare quippe videtur, ut ad eum actum, quem prohibet, Deus concurrat.

R. disting. aſs. Deus prohibet actum malum, verum ita, ut simul velit, creaturam agere motus suos, concedo aſs; prohibet actum malum, ita ut impediatur, ne creatura operetur, prout ipsi creaturæ placet, nego aſs, & conseq. Ita ergo Deus prohibet actum malum, ut creaturam in manu consilii sui simul relinquat; ac proinde ut simul

(a) Lib. V. super Genesim ad litteram
num. 40., alias cap. 20.

mul paratus sit, tamquam naturæ auctor, ad omnes illius actiones concurrere; adeoque etiam ad malas, si eas ipsa voluerit. Ceterum nimis probat argumentum. Evincit enim, neque *permissivè* posse Deum ad malas creaturarum actiones concurrere; cum scilicet non minus absurdum videatur, ut Deus permittat malum, quod prohibet, quam ut ad prohibitum ab se malum ipse concurrat. Idipsum de mala creaturæ actione Deo imputanda, si ad eam concurrat, dicatur velim. Peccaminosa siquidem actio illi etiam imputabilis est, qui eam, cum possit impediri, permittit. Ergo, si actio mala creaturæ ex eo nequit Deo imputari, quod illam permittat, cum impedire ipsam possit; ita eadem ipsa actio Deo imputanda non est, propterea quod ad eam concurrat.

SECTIO TERTIA.

An Deus physice prædeterminet causas creatas ad agendum.

60. **S**atis non est Thomistis, causas creatas, ut agant, suosque effectus producant, indigere immediato Dei concursu. Contendunt insuper, nihil prorsus fieri ab illis posse, quin ad operandum *physice* a Deo prædeterminentur. Contrarium vero putant alii, & quidem non inferioris subfellii, Philosophi, atque Theologi.

DEFINITIO.

61. *Physica præmotio, sive prædeterminatio, si Thomistas ipsos audiamus, est influxus causæ primæ, receptus, non quidem immediate in effectibus, sed in causis secundis, quo Deus ipsis actualem efficacitatem inspirat, quo eas movet & applicat, non solum objective & moraliter, alliciendo, & suadendo, sed etiam physice & active interius inclinando, applicando, determinando, ac ultimam illam activitatem, ad quam sequitur actio, influendo, & ideo dicitur motio physica. Sed quia motio & applicatio virtutis activæ ad agendum est prior natura, quam ipsa actio, sicut omnis via est prior suo termino, & omnis causa suo effectû, ideo motio illa dicitur prævia motio, seu præmotio (a).*

COROLLARIUM.

62. *Igitur fieri nullatenus potest, ut in causis sive liberis, sive ne-*
Phil Ment. T. II. E e 3 ces-

(a) P. Goudin P. IV. Philos. Disp. II. q. 3. art. 2.

cessariis negatio actus cum physica præmotione componatur: Repugnare quippe videtur, ut otiosum maneat agens, cum est ad operandum physice determinatum.

PROPOSITIO I.

Physica prædeterminatio in causis naturalibus, sive necessariis videtur omnino frustranea.

63. *Probatur.* Causæ naturales, sive necessariae determinatæ sunt per suam naturam ad operandum. In hoc enim stat discrimen causæ necessariae a causa libera (P. II. §§. 385., 388.). Frustra autem prædeterminatur a Deo, quod jam per suam naturam determinatum est, ut patet ex ipsis terminis. Ergo in causis necessariis frustranea omnino est physica prædeterminatio.

Confirmatur. Ratio, si non potissima, saltem ex præcipuis una, cur per Thomistas humana voluntas indigeat a Deo physice prædeterminari, ut agat, ex eo desumitur, quod ipsa voluntas per suam naturam æqualiter se habeat ad opposita (a). Ergo vel nulla hæc ratio est, vel physica prædeterminatio in causis necessariis est prorsus frustranea. Ut enim præclare observat Doctor Subtilis, *in causis præcis si affirmatio est causa affirmationis, & negatio est causa negationis* (b).

PROPOSITIO II.

Physica prædeterminatio in causis liberis adversatur intimo sensui.

64. *Probatur.* Non minus certi sumus per sensum intimum nos cogitare, quam voluntatem nostram determinare seipsam ad operandum. *Sentit animus se moveri, ut ex Tullio sæpius diximus, quod cum sentit, illud una sentit, se vi sua, non aliena moveri* (c). Ergo physica prædeterminatio intimo sensui adversatur.

Si quis vero dicat, videri quidem per sensum intimum, nos a nobismetipsis, non autem ab extrinseca causa, determinari; at rem non ita esse: sciat is velim, tantundem & humanæ libertatis hostes reponere posse, cum illis objicitur, constare per sensum intimum, voluntatem nostram esse dominam suorum actuum. Dicere namque possunt & ipsi, nos hallucinari, cum, testimonio intimi sensus innixi, dicimus, sic libera voluntate nos alia fugere, & alia sequi, ut, quem-

(a) Vide Goudinum P. IV. *Philos. Disp. II.* quæst. 3. art. 4. §. 8. *quia ratio.*

(b) In I. *Sentent.* Distin. 43. q. unica §. *Hic dicitur.*

(c) Lib. I. *qq. Tuscul.* cap. 23.

quemadmodum dolere, gaudere, videre, audire non ratiocinando, sed re ipsa comprehendimus, ita a nostrum ipsorum consilio ad fugiendum, aut sequendum moveri nos profecto sentimus (a). Opponere nimirum & illi queunt, rem non ita esse, licet, si intimi sensus habeatur ratio, ita nobis esse videatur. Itaque aut dicendum, humanam libertatem haud recte ex intimo sensu evinci; aut fateamur oportet, *physicam prædeterminationem* in causis liberis sensui intimo penitus adversari.

P R O P O S I T I O III.

Physica præmotio in causis liberis videtur cum earum libertate indifferentia minime posse componi.

65. *Probatur.* *Physica præmotio* non fiat in voluntate cum *libertate indifferentia*, si voluntas in signo priori ad *præmotionem* non possit agere, simul vero cum illa nequeat non operari. Libera enim non est voluntas, nisi agere, & non agere ex æquo possit. Agere autem nequit voluntas in signo priori ad *physicam præmotionem*; cum, si Thomistas audiamus, non agat, nisi sit prædeterminata. Neque potest non agere, si ut præmoti sumatur; cum actionis negatio, iisdem testibus, nequeat cum *physica præmotione* componi. Ergo &c.

Confirmatur. Etenim in signo priori ad *physicam præmotionem* vel potest voluntas seipsam determinare ad operandum, vel non potest. Si potest: ergo *præmotio* frustranea est; quippe quæ non ponitur, nisi ut voluntas per eam determinetur. Si non potest: ergo voluntas non est libera; cum *libertas indifferentia* in eo sit posita, ut voluntas ad eam, quæ magis sibi arridet, contradictionis partem determinare seipsam possit.

Dicunt, voluntatem in signo priori ad *præmotionem* posse quidem agere, sed nunquam fore, ut agat.

Contra: quia, nisi Thomistæ velint, aliquid ponere sine ratione, cur illud potius ponant, quam non ponant, danda ab illis ratio est, cur voluntas, licet in signo priori ad *præmotionem* queat agere, seque ipsam determinare, nunquam tamen futurum sit, ut tunc operetur & seipsam determinet. Igitur negatio actus, quæ in tali signo semper habetur, vel ex eo provenit, quod potentia voluntatis tunc sit intrinsecus manca, quemadmodum manca eadem ipsa est quoad actiones supernaturales, si spectetur divinæ gratiæ auxilio destituta; vel ex eo oritur, quod aliqua tunc ei desit conditio, quæ ad operandum

E e 4

ne-

(a) Eusebius lib. VI. de præp. Evang. cap. 5.

necellario prærequiratur. Si primum: ergo falſum eſt, voluntantem in ſigno priori ad *pramotionem* agere poſſe. Completa enim debet eſſe potentia cauſæ, ut ipſa poſſe agere jure dicatur. Sin alterum: ergo negatio actus una ſimul poteſt cum *phyſica pramotione* componi. Eſt enim de intrinſeca ratione cauſæ libera, ut, omnibus poſitis, quibus ad agendum eſt opus, actio, & negatio actionis haberi queat ex æquo; & ideo ut negatio actionis ſtare cum poſitione omnium conditionum optime poſſit (P. II. §. 388.).

Unum addo, quod in hoc negotio me ſemper plurimum movit, videlicet contendere etiam *fataliſtas* poſſe, voluntatis libertatem a *fatali* externa cauſa nequaquam lædi. Poſſunt quippe & ipſi dicere, voluntatem non habere a *fato*, ut poſſit agere, ſed tantum, ut agat, ſive illam poſſe quidem non operari, etiam dum a *fato* determinata eſt, nunquam tamen fore, ut tunc non operetur: uno verbo, *fatalem* influxum non potentiam reſpicere, ſed actum. Neque enim contra eos valet, actionem *fatalis* cauſæ eſſe priorem actione voluntatis, independentem a voluntate, & cum illius actu infallibiliter connexam. Non valet, inquam; quia neque contra prædeterminantes id alicujus vel minimi momenti eſt. In tuto eſt enim, horum judicio, humana libertas, quamvis *pramotio* ſit prior actione voluntatis, ab ipſa voluntate non dependeat, eaque poſita, fieri nequeat, ut voluntas non operetur, ſive ut actionis negatio tunc habeatur.

C O R O L L A R I U M.

66. *Si phyſica pramotio humanam libertatem lædit, rationem meriti, & demeriti in humanis actibus ipſa quoque tollit.* Ut enim diximus ſuo loco, jaceret omnis *Philoſophia*, jaceret *pietas*, nulla eſſet *laus virtutis* nullus *fructus laborum*, nec puniendi eſſent *improbi*, nec admirandi *ſtudioſi*, ſi non libera voluntate, ſed neceſſitate a nobis fieret quidquid facimus (a).

P R O P O S I T I O I V.

Phyſica pramotio in cauſis liberis videtur Divinae ſanctitati plurimum derogare.

67. *Probat.* Cum, prædeterminantium ſententia, nihil proſus agere poſſit creatura, niſi phyſice a Deo prædeterminetur, *phyſica præ-*

(a) Eusebius lib. VI. de præp. Evangel. cap. 5.

promotione opus est homini, etiam ut male agat. Ideo ergo pessime vivit homo, quia ad pessime operandum a Deo *præmoveretur*. Hoc autem Divinæ sanctitati derogari quam maxime, nescius nemo est. Sequitur enim, Deum ipsum accusari debere, eique imputari, si inhoneste vitam suam homo traducat. Ergo &c.

Confirmatur. Non vacat culpa, qui hominem ad male operandum *moraliter* *præmoveret*. Ergo is itidem, & quidem a fortiori, immunis a culpa non est, qui eundem ad inhonestas actiones *physice* *prædeterminat*.

Dicunt: Deum non *prædeterminare* hominem ad *formale*, sed tantum ad *materiale* peccati.

Contra: quia etiam homo suadens alteri, ut male agat, ipsum non *præmoveret moraliter*, nisi ad *materiale* actionis malæ. Ergo immunis & ille est a culpa, si hoc unum sufficit, ut inhonesta hominis vitæ imputari Deo *prædeterminanti* jure non possit. Certe, qui Deum faciunt auctorem peccati, non aliud sentire puto, nisi esse a Deo *materiale* illius actionis, quæ malitiam habet annexam. Adde, neminem fore peccantium, qui malitiam actionis suæ *directe* respiciat, eamque *primo* & *per se* velit. Ut enim *materiale* actionis est id, quo mala concupiscentia expletur, ita illud est, quod unice a peccante respicitur.

Satisfit objectionibus.

Opponunt Thomistæ primo innumera tum Conciliorum, tum S. S. Patrum testimonia, putantque, evidenter adeo *physicam* *promotionem* ex hoc capite evinci, ut, eorum iudicio, nemo sine piaculo sentire contrarium possit. Ea porro *prætermitto*, tum ut consulam brevitari, tum quia omnibus una responsione fit satis.

& igitur, ea omnia testimonia intelligenda esse vel de concursu Dei simultaneo; vel de motione humanæ voluntatis ad bonum *in genere*; vel de *promotione* tantum *moralis*; vel de motione ~~ex~~ quadam speciali per gratiam ad actus supernaturales, & meritorios.

Et sane vel loca Conciliorum, & Patrum, quæ *Prædeterminantium* paginas implent, rem plane ad evidentiam demonstrant, vel probabiliter tantum suadent. Si demonstrant: ergo male se gerit Ecclesia, cum in Scholis Catholicis oppositum doceri finit, imo & palam propugnari permittit. Ut enim habetur in Decreto, *error, cui non resistitur, approbatur; & veritas, cum minime defensatur, opprimitur. Negligere quippe, cum possis, deturbare perversos, nihil aliud est, quam*
fove.

fovere, nec caret scrupulo societatis occultæ, qui manifesto facinori definit obviasse (a). Si autem suadent tantum, uti dicendum est, nisi Ecclesiam infimulare erroris placeat, frustra prorsus autoritatum immensa farragine paginas implent *physicæ prædeterminationis* patroni, ut rem conficiant. Adhuc quippe stabit, doctrinam de *physicæ præmotione* neque spectare ad fidem, neque confinia probabilitatis transcendere, sed ei posse unumquemque sine piaculo refragari.

Opponunt 2. Deus est prima causa, & primus motor. Non esset autem huiusmodi, nisi inferiores causas præmoveret, easque ad operandum *physicæ* determinaret. Ergo &c.

R. neg. min. Stare enim potest, Deum esse primam causam, & primum motorem, licet, causas creatas *physicæ* non prædeterminet. Prima igitur causa est Deus I. *dignitate*, quatenus nempe omnibus creatis causis sublimior est, tamque præstantis naturæ, ut eas omnes perfectione sua infinite excedat. II. *facunditate*; quia rebus singulis vim ipse tribuit, qua operentur. III. *independentia*; nullius enim auxilio indiget Deus, ut agat; contra vero agentia creata opus habent divino concursu, eaque necessitate a Deo in operando dependent, ut omnino repugnet, fieri aliquid vel minimum ab illis posse, nisi Deus non permittrat solum, verum etiam nisi *physicæ* cum ipsis concurrat. Speciali quoque modo habet Deus rationem *primæ causæ, primique moventis*, si ad voluntatem referatur. Etenim I. eam præmoveret motione generali versus bonum in genere. *Deus, inquit Angelicus Doctor, movet voluntatem hominis, sicut universalis motor ad universale objectum voluntatis, quod est bonum; & sine hac universali motione homo non potest aliquid velle* (b). II. speciali motione eam excitat ad actiones supernaturales, eique gratiam confert, qua actiones ipsas eliciat; unde dicit Apostolus, Deum operari *in nobis, & velle, e perficere pro bona voluntate* (c). Quod si nomine *primæ causæ* intelligant Thomistæ causam *physicæ prædeterminantem*, non assumant, veluti notum ex terminis, Deum esse primam causam; sed id ratione demonstrent. Enimvero, si secus, argumentum eo laborat fallaciæ genere, quod *petitio principii* nuncupatur.

Dicunt: Deus est prior creatura in essendo. Ergo etiam in operando. Modus enim operandi sequitur modum essendi.

R. disting. cons. Deus est prior creatura in operando, prioritate dignitatis, facunditatis, & independentiæ, *concedo conseq.* Prioritate *physicæ prædeterminationis, nego conseq.* Responsio patet ex dictis.

Oppo-

(a) Distin. LXXXIII. c. error.

(b) P. I. *Secundæ* q. 9. artic. 6.

(c) Ad *Philippenses* cap. II. v. 13.

Opponunt 3. Causa secunda essentialiter subordinatur primæ. Ergo ab illa physice præmoveatur. *Añs* est evidens. *Prob. conseq.* Etenim non in alio, quam in exigentia physice præmotionis stare posse videtur essentialis subordinatio causæ secundæ ad primam.

R. disting. añs: causa secunda essentialiter subordinatur primæ, hoc est, habet a prima, ut possit agere, & agat reipsa, *concedo añs:* Subordinatur primæ, hoc est, ita illi subiicitur, ut, nisi ab illa physice præmoveatur, operari non possit, *neg. añs,* & *conseq.* Causa itaque secunda subordinatur primæ, quatenus non solum vim operandi habet a prima, verum etiam quia ita ab illa in operando dependet, ut nihil omnino queat ageret causa secunda, nisi prima simul operetur, ipsumque effectum simul cum illa producat.

Instant. Magis dependet creatura a Deo, quam instrumentum ab artifice. Sed instrumentum ita dependet ab artifice, ut nihil queat efficere, nisi ab illo præmoveatur. Ergo nihil quoque operari creatura potest, nisi a Deo phyce prædeterminetur.

R. disting. ma: magis dependet creatura a Deo, quam instrumentum ab artifice, in essendo, *concedo ma:* in operando, *nego ma:* & *permissa min:* *nego conseq.* Cum enim creatura, secus atque instrumentum, vim habeat agendi, fieri nequit, ut major sit dependentia creaturæ a Deo in operando, quam instrumenti ab artifice.

Urgent: Majus esset dominium Dei in creaturas, si physica præmotione ad operandum indigerent. Ergo physica præmotione indigent reipsa.

R. disting. coñs. physica præmotione indigent, si non repugnat, ut præmoveantur, *concedo conseq.* Si repugnat, *nego conseq.* Ostendant Thomistæ, stare posse physicam præmotionem cum libertate in voluntate, ipsamque præmotionem Divinæ sanctitati haudquaquam officere, & tunc dabimus, Deum præmovere physice creaturas, ut dominium super eas habeat, quod potest esse maximum.

Opponitur 4. Voluntas est indifferens natura sua ad operandum, & ad non operandum. Ergo indiget physico prædeterminante, ut operetur.

R. disting. añs: voluntas est indifferens natura sua ad operandum, & ad non operandum, indifferentia activa, *concedo añs;* indifferentia passiva, *nego añs,* & *conseq.* Indifferens itaque est voluntas ad utramque contradictionis partem, verum ita, ut simul vim habeat sese determinandi. Quod *passive* est indifferens, determinari ab alio debet; minime vero quod est indifferens *active*, hoc est, quod vim habet agendi, & non agendi, prout sibi magis placet, quemadmodum

dum fufe diximus, cum de libertate voluntatis differeremus. Hæc de *physica* promotione dicta sufficient. Fateor porro, *me* ex eorum numero esse conari, qui proficiendo scribunt, & scribendo proficiunt. Unde si aliquid vel incautius, vel indoctius a me positum est, quod non solum ab aliis, qui videre id possunt, merito reprehendatur, verum etiam a me ipso (quia & ego, saltem postea, videre debeo, si proficio) nec mirandum est, nec dolendum, sed potius ignoscendum, atque gratulandum, non quia erratum est, sed quia improbatum. Nam nimis perverse seipsum amat, qui & alios vult errare, ut error suus lateat (a).

(a) S. Augustinus Epist. CXLIII., alias VII.

F I N I S.

I N D E X

RERUM ET VERBORUM

- A.**
- A**tributa rei essentialia quæ dicantur. pag. 30.
Non essentialia. ibid.
Accidentale rei quid dicitur. 44.
Accidens quid sit. 47.
Logicum. ibid.
Physicum. ibid.
Simplicitates absolutum. 48.
Modale. ibid.
Equalia quæ dicantur. 54.
Equalitas quid sit. 55.
Annihilatio quid sit. 60.
Actio causæ efficientis. 73.
Ejus terminus. 74.
Actio immanens. ibid.
transiens. ibid.
Agere naturaliter quid sit. 77.
Agens necessarium. 359.
intrinsece. ibid.
extrinsece. ibid.
necessitate specificationis. 360.
necessitate exercitii. ibid.
Agens liberum. 358.
a necessitate. 360.
libertate contrarietatis. ibid.
libertate contradictionis. ibid.
Actus voluntatis elicitus. 361.
imperatus. ibid.
Actio voluntaria quæ dicitur. ibid.
Atque qui dicantur. 392.
Eternitas quid sit. 420.
- B**
- B**onitas entis quid sit. 10.
Bonum quid dicatur. 353.
- Honestum.** ibid.
Jucundum. ibid.
Utile. ibid.
Verum. ibid.
Apparens. ibid.
- C.**
- C**ominans quid sit. 24.
Metaphysice. 25.
Physice. ibid.
Moraliter. ibid.
Convenire duo in aliquaratione quid sit. 52.
Creatio quid sit. 59.
Compositum nihil est distinctum a suis principis intrinsicis simul sumtis & unitis. 61.
Causa in genere quid sit. 66.
Causalitas. 67.
Conditio sine qua non. ibid.
Causa adequata. ibid.
Inadequata. ibid.
Intrinseca. 68.
Extrinseca. ibid.
Causa efficiens quid sit. 72.
in actu primo. 73.
in actu secundo. ibid.
Metaphysica. 75.
Physica. ibid.
Moralis. ibid.
Principalis. ibid.
Instrumentalis. ibid.
Occasionalis. 76.
Equivoca. ibid.
Univoca. ibid.
Per se. ibid.
Per accidens. ibid.
Proxima. 77.
Remota. ibid.
Subordinata. ibid.
Naturalis. ibid.
Necessaria. ibid.
Causa semper agit, quantum potest. 80.
- Causa finalis quæ dicitur.** 84.
Causa materialis composita. 90.
Formæ. ibid.
Causa formalis composita. 91.
subjecti. ibid.
Causa exemplaris quid sit. 94.
Commercium mentis cum corpore. 190.
Ejus leges. 191.
per systema causarum occasionalium non explicatur. 197.
Hoc systema indiguum est Philosopho. 198.
Nullum est hoc systema, nisi mens ponatur substantia iners. 200.
Adversatur intimmo sensui. 201.
Evertit humanam libertatem. 202.
Corpus determinatur ab anima ad motus voluntarios. 315.
per actionem realem. 316.
Omnis nostra cognitio dependet a sensibus. 244.
Cogit quodnam dicatur. 35.
Concursu Dei immediatus. 434.
- D.**
- P**rimo diversa quæ dicitur. 5.
Distinctio quid sit. 13.
Quotuplex. ibid.
Distincti non opponitur.

- tur unio. ibid.
- Distinctio* latius patet, quam *diversitas*. ibid.
- Denominatio absoluta*. 50.
- Relativa*. ibid.
- Fundamentum *denominacionis relativæ*. 51.
- Dependentia mentis a corpore non officit illius spiritualitati. 311.
- Dei* nomine quid intelligatur. 393.
- Deum existere est evidens. ibid.
- Deus est ens infinitum. 406.
- Differt a substantia Mundi. 407.
- Est unus. 409.
- Est purus spiritus. 415.
- Est immutabilis. 417.
- Est immensus. 419.
- Est æternus. 421.
- Est omnipotens. 422.
- Est omnisciens. 423.
- Deistæ* qui dicantur. 425.
- Deus concurret ad omnes actiones creaturarum. 435.
- Eas non prædeterminat. 440.
- E
- E***ns reale* quid sit. 4.
- Unumquodq; per suam essentiam est ens. 5.
- Non dicit in recto, nisi meram negationem. ibid.
- Convenire in ratione *entis* est convenire in *negatione*. 6.
- Attributum *entis* est maxime universale. 7.
- Est commune *univocum* Deo, & creaturis. 8.
- Entis* proprietates. 9.
- Essentia rei* quid sit. 29.
- Existencia* quid sit. 31.
- Ens actu* quodnam dicitur. ibid.
- In potentia*. ibid.
- Existere per essentiam*. ibid.
- Non per essentiam*. ibid.
- A se*. 32.
- Ab alio*. ibid.
- Per se*. 42.
- Perseitas entis* quid sit. ibid.
- Essentia rei* est *necessaria*. 33.
- Est *immutabilis*. 34.
- Existit *necessario*, quod a se existit. 36.
- Existit *contingenter*, quod existit *ab alio*. ibid.
- Existencia* nihil est distinctum ab *essentia*. 37.
- Ens absolutum* quid sit. 50.
- Relativum*. ibid.
- Ens essentialiter simplex* quid sit. 57.
- Essentialiter compositum*. 58.
- Ens simplex* non potest fieri nisi *ex nihilo sui*. 62.
- Neque potest perire, nisi habeat in *nihilum sui*. ibid.
- Idem numero effectus non potest esse a pluribus causis ejusdem generis, & ordinis. 70.
- Effectus naturalis*. 78.
- Supernaturalis*. ibid.
- Quoad substantiam*. ibid.
- Quoad modum*. ibid.
- Effectus* nequit excedere suam causam. 79.
- Exempla* quid sit. 93.
- Ens infinitum* quodnam dicatur. 406.
- F
- F***inis intrinsecus* qui dicatur. 82.
- Extrinsecus*. 83.
- Primarius*. ibid.
- Secundarius*. ibid.
- Proximus*. 84.
- Remotus*. ibid.
- Finis est vera causa quid in illo requiratur, ut fit causa. 85.
- quæ agant propter finem. ibid.
- Forma* quid sit. 87.
- Substantialis*. 88.
- Accidentalis*. ibid.
- Formam educi* quid sit. 89.
- Forma* est vere causatum respectu materię, tum respectu compositi. 91.
- H
- H***armonia præstabilita* quid sit. 207.
- Ejus principia. 208.
- Nulla possunt ratione ostendi. 212. 214.
- Poni nequeunt, quin detur, nullius effectus posse causam determinari. 217.
- Nullum est hoc systema, nisi mens semper cogitet. 225.
- Hoc posito, plura contingunt in anima sine *ratione sufficienti*. 227.
- Favet *idealismo*. 234.
- Adversatur S. Scripturæ, & Patribus. 239.
- Ad inhoneste vivendum viam sternit. 247.
- Evertit dogma de concupiscentia animæ ex carne. 249.
- Rejiciendæ sunt macerationes carnis, posita harmonia. 255.
- Hoc si detur systema, nulla inest animæ libertas in suas ideas. 258.
- Neque in motus corporis. 263.
- Ea-

Favet fatalismo? 268.
 Nulla est harmonia, si mens pro forma corporis habeatur. 285.
 Posita harmonia, plures in uno homine sunt animæ. 288.
 Per harmoniam non explicatur commercium. 289.
 Systema harmoniæ præstabilitæ neq; dignum est Philosopho, neque a Viro catholico potest sine piaculo propugnari. 298.

I

Indivisibile absolute quid sit. 11.
 Secundum quid. 12.
 Identitas quid sit. 15.
 Quotuplex. 16.
 Maxime differt ab unione. ibid.
 Impossibile quid sit. 17.
 Logice. 19.
 Metaphysice. ibid.
 Naturaliter. ibid.
 Moraliter. 20.
 Immutabile quid sit. 26.
 Metaphysice. ibid.
 Physice. ibid.
 Moraliter. ibid.
 Simpliciter. 27.
 Secundum quid. ibid.
 Immutabilitas, & necessitas convertuntur. 29.
 Inherere subjecto quid sit. 43.
 Incorruptibile intrinsece quid sit. 134.
 extrinsece. 135.
 Immortale intrinsece. ibid.
 extrinsece. 136.
 simpliciter. ibid.
 secundum quid. ibid.
 Intellectus quid sit. 321.
 Idea innata nulla est. 337.
 Idee rerum insensibili-

lium ex ideis sensibili-
 lium eruuntur. 340.
 Involuntarium quid sit, & quotuplex. 362.
 Immensitas Dei. 419.
 Judicium intellectus
 theoreticum. 379.
 practicum. ibid.
 practicum ultimum. 380.

L

Libertas agentis quid sit, & quotuplex. 360.

M

Metaphysica quid sit. 1.
 Ejus partitio. 2.
 Mutabile quid sit. 26.
 Metaphysice. ibid.
 Physice. ibid.
 Moraliter. ibid.
 Mutabilitas, & contingentia convertuntur. 29.
 Dantur modi reales, & positivi. 49.
 Medium quid sit. 84.
 Materia ex qua. 86.
 in qua. 87.
 circa quam. ibid.
 Mens humana quid sit. 90.
 Opiniones de illius natura. 96.
 Mens humana est substantia. 109.
 Differt a substantia ex sanguine elaborata in cerebro. 110.
 Non est divisibilis in partes integrantes. 111.
 Non est extensa. 113.
 Non est composita ex subjecto, & forma. 115.
 Est spiritualis. 116.
 Opiniones de illius immortalitate. 129.

Non indiget corpore, ut existat. 138.
 perire nequit per dissolutionem partium. ibid.
 Est intrinsece incorruptibilis. 139.
 Separata a corpore potest cogitare. 140.
 Est immortalis. 149.
 Dei voluntate in morte non perit. 155.
 Opiniones de illius origine. 163.
 Non est particula Divinæ substantiæ. 169.
 Neque animæ universi. 170.
 Non propagatur per traducem. ibid.
 Est ingenerabilis. 173.
 Producitur a Deo. 174.
 Non producitur ante corpus. ibid.
 Non præexistit in corpusculo organico. 176.
 Motus corporis voluntarii qui dicantur. 314.
 Mens humana congenita sibi vi producit rerum ideas. 323.
 Determinatur a phantasmate. 329.
 Dependet a corpore, etiam ut cognoscat seipsam. 345.
 Incertum est, num semper cogitet. 346.
 Malum quid sit, & quotuplex. 354.
 Memoriae quid sit. 386.
 Motivum volitionis, & nolitionis. 380.
 Materia nequit esse ens a se. 407.
 Ne-

N

- N**ecessarium quid sit. 23.
Metaphysice. ibid.
Physice. 24.
Moraliter, ibid.
Absolute. ibid.
Ex suppositione. ibid.
Natura rei quid sit. 30.
Fieri rem ex nihilo sui
 quid sit. 58.
ex nihilo subjecti. ibid.
Abire in nihilum sui. ibid.
in nihilum subjecti. 59.

O

- O**ntologia quid sit. 9.
 Ejus objectum. ibid.
Objectum activæ poten-
tiæ quid sit. 251.
Materiale. ibid.
Formale. ibid.
Omnipotens quodnam
 dicatur. 422.

P

- P**ossibile quid sit. 17.
Logice. ibid.
Metaphysice. 18.
Supernaturaliter. ibid.
Naturaliter. 19.
Moraliter. ibid.
Principium contradic-
tionis. 32.
Rationis sufficientis. 33.
Principium in genere quid
 dicatur. 64.
Principiam rei. 66.

- Externum.* ibid.
Internum. ibid.
Principium cognitionis. ibid.
Potentia activa causæ
 quid sit. 72.
Passio quid sit. 74.
Psychologia quid sit. 95.
Phantasma quid sit. 310.
Plythei qui dicantur. 408.
Providentia Dei quid sit. 425.
Premotio physica. 437.
 frustranea in causis
 necessariis. 438.
 adversatur sensui
 intimo. ibid.
 officit libertati. 439.
 adversatur divinæ
 sanctitati. 440.

R

- R**elatio, vide *ens*
relativum.
Relatio nil est distinctum
 a referibilitate termi-
 norum. 52.

S

- S**ubjectum quid sit. 41.
Substantia quot mo-
 dis sumatur. 43. & seq.
 Substantiæ attributum
 est commune univo-
 cum Deo, & crea-
 turis. 45.
 Substantia simplex ne-
 quit fieri nisi per crea-
 tionem. 62.
 Nequit perire, nisi

- per annihilationem. ibid.
Substantiale rei quid di-
 catur. ibid.
Similia quæ dicantur. 53.
Similitudo quid sit. 54.
Substantia spiritalis
 quæ dicatur. 101.
Species impressa nulla
 est. 330.

T

- T**heologia naturalis
 quæ dicatur. 321.

V

- V**eritas entis quid
 sit. 93.
Unitas entis quid sit. 112.
 Ejus species. ibid.
Voluntas quid sit. 352.
 Aversari nequit
 bonum. 354.
 Neque malum ap-
 petere. 355.
 Non potest cogi. 363.
 Est libera liberta-
 te contrarieta-
 tis, & contra-
 dictionis. 365.
 Dependet ab in-
 tellectu. 381.
 Non tamen ab il-
 lo determina-
 tur. ibid.
Violentum quid dica-
 tur. 358.

F I N I S.







